


DE

CORDIS CONDITIONIBUS ABNORMIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENTIENTE ILLUSTRI MEDICORUM ORDINE

PRO OBTINENDIS

SUMMIS

ARTIS MEDICAE ET CHIRURGICAE

HONORIBUS

DIE VIII. APRILIS MDCCCII

PUBLICE DEFENDET

JOANNES FRIDERICUS MECKEL

HALENSIS

ACCEDUNT TABULAE AENEAE.

HALAE

TYPIS BATHEANIS.

PATRI OPTIMO

LITERARUM PRIMITIAS

PIA GRATA MENTE

OFFERT

FILIUS.

DE

CONDITIONIBUS CORDIS ABNORMIBUS.

§. 1.

Curſu academico ad finem vergente, cum, ut mori ſatisfacerem, thema ex artis medicae finibus ad elaborandam diſſertationem, eſſem electurus, cor, organum totius oeconomiae animalis fere maxime neceſſarium, oculum prae reliquis detinuit. Cujus cum ſtatus normalis ab anatomiae phyſiologiaeque cultoribus jam per longum annorum decurſum tanta deſcriptus ſit exactitudine et diligentia, ut, quod optemus, fere nihil ſuperſit, ſaltem a me, juvene tantum, adjiciendum; ad ejus ſtatum abnormem animum deflexi. Qui quamvis a viris hujus ſeculi eximiis, iisque non paucis, quorum nomina majore fama latiusque ſparſa fruuntur, quam quae noſtra laude augeri queat, eadem diligentia, ingenio eodem ſit tractatus; tamen et propter temporis ſpatium, ex quo ſcripſere, elapſum, et propter diffuſum nimis ſermonem

in fcriptis illis a nobis obfervatum; labor hic minus nobis videtur inutilis.

§. 2.

Priusquam rem ipfam aggredimur, quaedam de confilio, quo opufculum fuerit confcriptum, praemittendi veniam oramus. Verfabitur in cordis ftatu quovis abnormi, non tantum morbofo, quamobrem vaforum quoque numerus auctus, eorundem infolita divifio, aliaque quae inferius memorata invenientur, hic erant tractanda. Cor refpectu fui bifariam quidem tantum a norma deviare poteft, forma fcilicet et miftione, fi vero reliqui corporis quoque habeatur ratio, quadrifariam, cum fitus interdum et numeri occurrant varietates. Totum igitur in partes quatuor facile dirimitur, in quarum prima de fitu, fecunda de forma, tertia de mixtione, quarta de numero abnormi agetur.

Nunc de modo, quo haec tradere animus eft, pauca fubjicere liceat. Scriptores anatomiae pathologicae celeberrimi, Morgagnus, Bonetus, et nominatim auctor libri ad noftrum opufculum quamplurime refpicientis, Senacus, in operibus fatis fuperque notis, cuivis fere organi alicujus vitiati cafui hiftoriam fymptomatum durante vita ob eam laefionem obfervatorum adjiciunt. Quod quamvis eorum temporibus forfan laude fuerit dignum quia fcilicet ante eos nemo phaenomenorum rationem explicuerat; quamvis medico practico, fymptomatibus ad detegendum vitium in organo fenfibus non patente qui femper quam maxime eget, fit utiliffimum, tamen, abfoluto a viris illis fumma exactitudine, immo nimia, opere hocce hercle taediofo; nos valde vituperandi effemus, fi eadem cantaremus, cum praefertim phaenomena morborum, ex ftimulorum cum organo laefo conjunctione oriundorum ea fint, quae tam longa minime egeant expofitione. Afficitur fyftema vaforum, inde cordis palpitatio, tremor, pulfuum oppreffio, intermiffio, debilitas, inaequalitas, defectus. Status morbofi, a functionibus hujus fyftematis laefis, oriundi,

fyncope,

ſyncope, oppreſſio pectoris, morbus coeruleus etc. facillime, quomodo neceſſario eveniant, pro laeſionis ratione perſpiciuntur. Miſſis igitur his, de vitiis tantum, quomodo in organo ipſo vel durante vita, vel poſt mortem fuerunt obſervata, agemus.

PARS PRIMA.

CORDIS SITUS ABNORMIS.

§. 3.

Cordis ſitus mutatus quamvis ad rariora pertineat, tamen interdum obſervatur. Maxime ejus ea memoranda venit varietas, qua extra thoracis cavum cor invenitur. Rei hujus, rariſſime, et neceſſario in neonatis tantum obſervatae, exempla quaedam adducere juvat. Büttnerus [1]), profeſſor Regiomontanus, fuſe deſcribit cor infantis neonati ex pectore propendens, pericardio carens, cujus ſitus inſuper ab obliquo in perpendicularem erat mutatus, cujus forma eo a normali deflectebat, quod apex ſolito latior baſin latitudine vix non aequaret, vaſa magna ſolito majora neceſſario reperirentur.

Aliud exemplum legitur apud Martinez [2]); ſed minus exacte deſcriptum, de infantis corde, per ſternum biſidum, pendente.

Weber [3]) tertium affert, ubi cor, ad perpendiculum poſitum os ſterni penetrabat.

Schulz [4]) infantem deſcribit cujus cor naturalis erat figurae, ſed integrum extra thoracem egreſſum, ſuper cartilaginem enſiformem poſitum, neque ſepto

A 2 trans-

1) C. G. Büttners anatomiſche Wahrnehmungen. 4. 1768.

2) Halleri diſputationes anatomicae ſelectae. Vol. II. pag. 975.

3) Baldinger Magazin für Aerzte 6. St. pag. 510.

4) Acta Academiae Regiae Scientiarum Suecicae anni 1763. vol. XXIV. pag. 27.

transverſo, neque ſterno perforatis, quae aeque ac coſtae ſanae erant. Apex cordis oblique verſus ſiniſtram partem et ſuperiora directus, auricula dextra reclinata, adjacens hepati. Elevato corde conſpiciebantur vena cava, aorta et vaſa pulmonalia thoracem ingredientia ſub cartilagine enſiformi, tela celluloſa atque diaphragmatis parte ſuperiore muſculoſa obvelata, ut cavitas thoracis eſſet clauſa. Pericardium apparebat nullum, accuratiori vero examine detegebatur tela celluloſa, a vaſis magnis orta et inde ſuper cor explicata; difficulter a ſuperficie cordis ſeparabatur membrana tenuis, cordi accreta, magis celluloſa verſus vaſa majora.

§. 4.

Frequentius cordis in pectore ſitus invenitur mutatus. Sic ita inverſum fuit ut mucrone ſuo in dextram pectoris caveam produceretur, baſis in ſiniſtra ſede fuerit, atque una omnia vaſa et abdominis viſcera a dextris ad ſiniſtra eſſent translata 5). Ejusdem rei exemplum in patris quoque ſervatur muſaeo, tabula prima depictum. Cor repertum eſt ſingulis partibus plane normale, ſed omnino contra normam poſitum ut baſis ſiniſtrorſum, apex dextrorſum inter coſtam ſextam et ſeptimam reperiretur. In tabula annexa conſpicitur cor (A); ejus margo anterior a ſiniſtris dextrorſum deſcendens (B); apex coſtae dextrae octavae obverſus (CD); margo poſterior (P); baſis (E); auricula dextra alias, hic ſiniſtra (F); ſiniſtra, hic dextra (G) vena cava inferior (H); ſuperior (I); arteria pulmonalis (K); ejus ramus dexter (L); ſiniſter (M); venae pulmonales (NOP) aorta (Q); truncus innominatus hic ſiniſter (RST); carotis dextra (U); ſubclavia dextra (V); venae jugulares (WXYZΑΒΓΔ). Tam thoracis quam abdominis reliqua quoque viſcera ſitum oſtendebant omnino inverſum, nam hepar ſiniſtrum, ventriculus et lien dextrum hypochondrium

5) Haller de c. h. fabrica. 1778. Tom. II. Lib. IV. §. 4. pag. 89. et nota e, ubi plures ejusdem rei obſervationes adducuntur. Sandifort obſerv. anat. pathol. Lib. IV. cap. III. pag. 55. 60.

drium occupabant; coecum interſtinum cavum oſſis Ilium ſiniſtrum adimplebat, rectum vero ad dextra oſſis ſacri pergebat. Aorta dextrum columnae ſpinalis, vena cava ſiniſtrum latus ſequebatur. Vitium hoc fere ſemper primae eſt conformationis. Eadem ratione cordis baſis inferiora et dextrum latus verſus, apex ſurſum et ſiniſtrorſum ſpectans fuit obſervatus a Torrez [6]). Cor in latere dextro thoracis plane ad perpendiculum pendens 7), in aperto cadavere ad perpendiculum poſitum, quale in brutis eſt [8]), inventum fuit. Item ſitus ejus praeter normam transverſus 9), perverſus et quaſi horizontalis [10]).

Caſus in quibus ob deſtructum pulmonem cor ſedem deſeruit, rari ſunt, cum pulmonibus omnino abſceſſubus deſtructis ſaepe cordis ſitus repertus ſit immutatus. Senacus tamen affert exempla de incipiente poſt pneumoniam cordis in dextro latere pulſatione, ubi ſectio abſceſſum lateris ſiniſtri cor in latus dextrum pepuliſſe oſtendit [11]).

Morgagnius hiſtoriam cordis narrat, aliquanto inferius ſolito et in totum ferme in ſiniſtro latere poſiti, ſed ſimul aneuryſmatici [12]).

Boer-

6) Auserleſene Abhandlungen der Academie der Wiſſenſchaften zu Paris überſetzt von Beer. Leipzig 1754. Band II. S. 156.

7) Abhandlungen der Joſephiniſchen med. chir. Academie zu Wien. 1787. pag. 273.

8) Ephem. Natur. curioſ. Vol. X. obſ. 39.

9) Abh. d. joſ. Acad. l. c. p. 265.

10) Acta nat. curioſ. vol. X. pag. 17.

11) Traité du coeur. à Paris 1749. Tome II. pag. 439. L. IV. Chap. IX. §. 7.

12) De Sedibus et cauſſ. morb. Venet. 1761. L. II. Cp. XVII. art. 25.

Boerhaave cor a fteatomate totum pectus explente, pericardio, vafis magnis, pulmonibus arctiffime adhaerente in dextrum thoracis latus depreffum vidit [13]).

Cor a ventriculo, finiftram thoracis partem fere prorfus explente, in dextram preffum e mifcellaneis curiofis; idem effectum propter ventriculum et lienem huc expanfos apud Lieutaudium legitur [14]). In avi manufcriptis obfervatio exftat de corde a fteatomate, inter pleurae facci finiftri bafin, diaphragma et coftas firmiter haerente, in dextrum latus omninó depreffo. Bafis ad quintam ufque coftam dextram adfcendit, apex angulum tendinis diaphragmatis attigit, ei in pericardio infiftens. Snperficies convexa cordis magis anterior retro anteriorem partem offeam et cartilagines coftarum inferiorum verarum dextri lateris recondita erat, coftas hafce refpiciens, acutus vero margo inferiora verfus et dextrorfum inclinatus, margo obtufus in latus finiftrum vergens fteatomati adjacuit. Pater fe cafum vidiffe memorat, ubi cor infantis ab empyemate dextri lateris ita in finiftrum latus fuit pulfum ut fere pone claviculam reperiretur.

In patris mufaeo fervatur infans, cujus habitus externi imago videre eft apud Voigtel in diff. de femiologia obftetricia [15]), ubi cor fitum ita mutavit, ut reperiatur in cavo abdominis in eodem facco cum reliquis hujus cavi inteftinis infra membranam, diaphragma referentem, pericardio inclufum. Vafa mágna in thoracis cavum emergunt, ubi pulmones normalem obtinent fitum. Alius ibidem fervatur cafus fatis memorabilis. Diaphragmatis pars finiftra per foramen trium pollicum diametri fere omnino deftructa totum inteftinorum tenuium tractum in thoracem finiftrum admifit. Pulmonis ejusdem lateris evolutio

13) Opufc. omnia, quae hoctenus prodierunt. Hag. Com. 1738. pag. 3.

14) Lieutaud hiftoria anatomico-medica II. 208. 216.

15) Halae 1790. Tab. V.

evolutio inde ita fuit impedita ut vix octavam dextri aequet partem. Cor, ceterum normale, omnino in latus dextrum conſpicitur depulſum.

Haec de ſitus vitiis ſufficiant, jam ad reliquas ejus conditiones abnormes convertamur.

PARS ALTERA.

CORDIS NUMERUS ABNORMIS.

§. 5.

Cor duplex.

Nullo prooemio haec eget pars, cum facile quivis primo intuitu, quae hic tractanda ſint, perſpiciat. Hic tantum conſideranda veniunt exempla cordis duplicis in ſubjectis ſimplicibus, non ex duobus ſtaminibus in unum conflatis. Monſtra enim bicipita, bicorporea quo minus hic reſpectu fabricae cordum enumeremus, temporis ſpatiique vetat anguſtia.

Boerhaave [16]) ex obſervationibus Edinenſibus caſum narrat muris rati, ab anatomico viviſecti in quo ſequentia fuerunt obſervata. Extractis viſceribus intra peritonaeum, ut vulgo dicunt, ſitis, duo renes in dextro latere adeſſe videbantur in membrana a peritonaeo veniente, incluſi. Qua aperta corporum horum alterum, inferius, libere et ſeparatum in membrana tenui incluſum apparuit, et, hac aperta cordi ſimillimum eſt viſum; alterum membrana pericardium referente incluſum, hac diſſecta, cor verum eſſe fuit repertum. Omnia normalia, niſi quod neque auricula dextra neque vena cava, neque aorta, neque valvulae aderant arterioſae, neque vas coronarium ullum.

Referato

16) Boerhaave pathologiſche Betrachtung des Herzens. Abhandl. für practiſche Aerzte Band IX.

Referato pectoris cavo neque pericardium neque cor in conſpectum venit; in medio tamen pectore auricula dextra, et ſinus a venae cavae utriusque confluxu formatus apparuit. Auricula haec a vertebris dorſi mediis oriebatur; e vena cava et auricula vaſa promanabant in pulmones eo modo intrantia, quo alias e ventriculo dextro provenientia ſolent a latere ſiniſtro alia, arterioſa, in pulmones quoque tendebat. Aër, per venam cavam impulſus, auriculam, ſinum ejus pulmonesque replebat. Vaſa omnia modo enumerata in truncum adſcendentem, aliumque deſcendentem conveniebant.

De corpore altero verba non amplius fiunt. Quodſi forſan nil niſi ren fuerit quod ex ſitu ejus infra diaphragma et ex eo, quod nullius alius renis dextri ſit mentio, ſequi videtur, caſus hoc a Boerhaavio non huc referendus fuiſſet, ſed potius ad ſitum vitioſum.

Idem ibidem ex hiſtoriis academiae ſcientiarum Pariſinae anni 1709. pag. 26. gallinam affert, in qua corda duo perfecta, digitum invicem diſtantia reperta fuerunt.

Sömmerringius [17]) ſe cor duplex anſerinum poſſidere, idemque in hoc animalium genere non ita raro obvenire, dicit, ampliorem tamen non adjicit deſcriptionem. In patris quoque muſaeo corda anſeris unius exſtant duo normalia, ſed de quibus fere nihil dici poteſt, niſi quod ſingula duplex habeant cavum, et ex ſingulis aorta emergat, et ligamentum inter utrumque intercedat valde obſcurum, cum caſu tantum in anſere jam cocto inter menſam fuerint inventa. Imaginem tamen dabimus.

PARS

17) Baillie Anatomie des krankhaften Baues des menſchlichen Körpers; überſetzt von Sömmerring Berlin 1794. pag. 27. not. 51.

PARS TERTIA.

CORDIS FORMA ABNORMIS.

§. 6.

Cordis cavitatum conditiones abnormes ratione numeri.

Cavitates cordis ratione numeri bifariam peccare poſſunt, ſolitum aut excedendo aut ne quidem aequando. Prioris exempla narrantur a Kerkringio et a Chemineau. Ille 18), auctor ceterum dubiae fidei, cor deſcribit infantis, tertio vitae menſe mortui, cujus ventriculus dexter bipartitus arteriae pulmonali duplici, poſt egreſſum ex duplici ventriculo in unum canalem, ſanguinem pulmonibus afferentem, coalitae, originem dabat. De modo, quo ſanguis in duplicem hunc allatus fuerit ventriculum, nil adjicit auctor, propter venas cavas jam antea deſtructas. Ceterum nec deſcriptio nec figura, praeſertim vero haec, ſatis eſt clara.

Hic 19) tres vidit ventriculos inter ſe conjunctos, quorum dexter venam cavam, ſiniſter pulmonalem recepit, tertius medius aortam et arteriam pulmonalem emiſit.

Contra cor magnum ſine ſepto vidit Columbus 20); cor cujus atria unum tantum conſtituebant cavum Mery 21); in infante neonato perfecto, ſeptimo die mortuo ventriculum et atrium modo unum, quorum ille aortae, mox in

18) Th. Kerkringii ſpicilegium anatomicum Amſtelod. 1670.

19) Chemineau in Memoires de l'academie des Sciences. 1699. pag. 42.

20) Columbus de re anatomica. Lib. XV.

21) Memoires de l'academia des ſciences de Paris 1700. pag. 54.

in duos ramos, alterum pulmonibus, alterum reliquo corpori ſanguinem afferentem; hoc venis cavis et pulmonalibus originem dabat, Wilſon [22]).

Cor ſine ullo cavo Veslingius [23]) affert ex Bartholini de corde libello, qui, Riolano hoc repertum, tradit. Sed minus accurata videtur obſervatio, quam quae, praeſertim cum in viro adulto hoc repertum velint, fide digna videri poſſit.

§. 7.

Cordis forma externa abnormis.

Morgagnius cor vidit parvum cum valvulis parvis, ejus latus dextrum curvilineum cum ſepto eandem curvaturam ſequente ut pars ejus ſuperior et apex dextrorſum prominerent [24]); idem [25]) cor ad apicem rotundum, cujus ventriculus dexter ſiniſtri, hic illius aſſumſerat formam, cujus auricula dextra craſſitie et amplitudine duas ſiniſtras aequabat.

Stalpartius van der Wiel [26]) refert, Stratenum medicum ſibi retuliſſe, ſe inveniſſe cor planum, orbi quo prandentes utimur, par, pericardio carens.

Kulmus [27]) de corde narrat magno, cujus forma ſic erat mutata, ut baſeos coni discum referret.

Bartho-

22) Wilſon in philoſophical Transactions Lond. 1799. pag. 11.

23) Ej. ſyntagma anatomicum. Ultraj. 1695. pag. 150.

24) L. c. Ep. LX. 8.

25) Ib. Ep. XVII. 12.

26) Stalpartii van der Wiel obſervationum rar. Centuria I. Lugd. Bat. 1687. obſ. XXXVII.

27) Act. Lipſienſ. anni 1727.

Bartholinus [28]) cor vidit cum apice bifido, ut ventriculi utriusque finis externe quoque luculenter appareret.

§. 8.

Volumen cordis auctum.

Cordis in universum et servata singularum ejus partium recta ratione distenti exempla quamvis raro inveniantur, saepe singularum ejus cavitatum dilatationes reperiuntur. Massa cum volumine aut crescit sicut uterus gravidus, aut non, atque tunc compages evadit necessario tenuior. Crebrius illud evenire solet. Inter exempla totius cordis exampliati quaedam exstant, hic exactius describenda. Boatus avus [29]) praeclarum narrat, ubi ob arterias omnes ab aorta oriundas, praesertim vero aortam ispam in vicinia cordis a 13 linearum solita diametro ad 8 coarctatas, cordis cavum utrumque adeo fuerat dilatatum ut cor omne fere pectus sinistrum oppleret. Substantia non attenuata. Simile factum legere est apud Morgagnium [30]), qui insignem aortae angustiam, insuper, quo propioris cordi eo magis laminis osseo-cartilagineis obsessae, pro caussa enormis totius cordis cum insigni ventriculi sinistri, necessario maxime affecti, parietum tnuitate, agnovit distensionis.

Idem cor maximum vidit feminae, pneumone interemptae cum parietibus eadem ratione crassioribus [31]). Boerhaave [32]) cor vidit triplo majus solito et adipe obrutum in potatore; Heurnius [33]) quadruplo majus. Chefelden [34])

 mentio-

28) Obs. anatom. Cent. I. hist. LXVII.

29) Histoire de l'academie rogale des sciences 1752. IV. Tome VI.

30) L. c. lib. II. Ep. XVIII. pag. 162. 63.

31) L. c. Ep. LXX. 10.

32) L. c. pag. 498.

33) Histor. et obs. rarior. operibus Fernelii annexae pag. 26.

34) Anatomy. London 1741. pag. 181.

mentionem facit cordis ex homine hydropico, in quo circuitus baſeos auricularum viginti quatuor, ventriculorum ſeptemdecim cum dimidio aequabat pollices. Internae ſuperficiei mutationis accuratam quamvis non addiderit auctor deſcriptionem, auctâ tamen hoc modo peripheriâ utriusque lateris cavitates praeter normam increviſſe, vero accedere videtur.

Bonetus cor invenit adeo amplum ut tria naturalia magnitudine aequaret [35]; aliud [36]) mole maximum ac vere monſtroſe alteratum, ulcuſculis tectum.

§. 9.

Frequentius leguntur ſingularum cavitatum diſtenſiones. Non ſemper auricula et ventriculus ejusdem lateris dilatantur. Quodſi obex poſitus ſit ſanguini, e ventriculo egredienti, vix ſuperandus, cum ventriculo auriculam quoque diſtentam iri, ſequi videtur. Dilatatatum ventriculum propter repulſum in quavis ſyſtole ſanguinem ſenſim quoque ſui lateris auriculam diſtenſurum veroſimile eſt. Num auricula prius diſtenta vi eadem in ventriculum agere poſſit, ob parietum tenuitatem, valvularum ad orificia venoſa poſitarum rigorem et vim, dubium videtur. Teſte Morgagnio [37]) auricula dextra saepius ſiniſtrâ, ventriculus ſiniſter ſaepius dextro dilatatur. Contra Senacus [38]) cavum dextrum frequentius ſiniſtro dilatari contendit, a frequentiore auriculae dextrae dilatatione ad ventriculi ejusdem lateris crebriorem diſtenſionem concludens. Factorum tamen ſeries, a Morgagnio allatorum, pro ipſius pugnat ſententia. Nec mirum, cum proximum et efficaciſſimum ſanguinis circuitus liberi impedimentum, valvulae ſigmoideae juſto magis induratae raro in arteria pulmonali, frequentiſſime in aorta obviam ſint.

Attamen

35) Boneti ſepulcretum Genevae 1700. I. pag. 530.

36) Ibidem III. pag. 560.

37) L. c. L. II. Ep. XVIII. 5.

38) Senae traité ſur la ſtructure du coeur Tome II. pag. 412.

Attamen plura sunt, quae, si non majorem, aequalem tamen cordis dextri dilatationis frequentiam suspicari nos jubent, inter quae morborum pulmonalium frequentia et ventriculi dextri longe major quam sinistri tenuitas primum tenent locum. In pneumonia circulum sanguinis minorem praepeditum testantur pulsus parvi, tensi, duri, post venaesectiones et adhibitam methodum antisthenicam rigorosissimam cum morbi totius levamine majores et molliores. Cur hic non observatur frequentior dextri cordis dilatatio? Dicetur forsan, cor, universae incitationis auctae particeps, majore quoque vi sanguinem propellere, immo propter processus vitales vividiores majorem sanguinis impendi quantitatem, inde forsan minorem quam in statu sano ad pulmones propelli ejus vim; sed tamen tot sunt exempla pulmonum exulceratorum induratorum ab hydrope pectoris compressorum, ut, si non concedatur, horum status normalis laesionum vim non esse adeo magnam in praepediendum sanguinis circulum minorem, non facile appareat caussa, cur ventriculi dextri frequentiores non dentur dilatationes.

§. 10.

Sed, missis his, duo exempla distensionis afferam aneurysmaticae, quorum caussa satis bene mihi non videtur declarata. Utrumque legitur apud Morgagnium. Alterum 39) est ventriculi sinistri et auriculae dextrae dilatatae cum reliquis cavitatibus integris. Aderant squamae osseae et tubercula aortae simul cum pluribus aquae in pectore libris. Distensionis ventriculi ratio redditur optime; sed cur non auricula sinistra simul inventa fuit dilatata? cur auricula dextra? num aquae hydropicae ea fuit distributio, ut ventriculus dexter comprimeretur, inde auricula dilatari cogeretur? Alterum 40) dextrae auriculae duplo grandioris et carnosioris sinistrâ, cordis magnitudinis tantae, quanta nunquam antea, ob summam praecipue totius lateris dextri dilatationem, quamvis

39) L. c. Ep. XVIII. 8.

40) L. c. Ep. XVIII. 6.

quamvis praeter arteriam magnam prope cor mire contractam nil abnormitatis obſervaretur. Ob aortae anguſtiam ſanguinis quidem ex pulmonibus refluxus liber impediebatur, inde ſanguini quoque e cavo dextro pulmones adeunti obex ponebatur; ſed cur nonniſi dextrum latus, aortae vitii poenas luebat?

§. 11.

Supereſt ut cavitatum cordis ſingularum plus ſolito diſtentarum quaedam afferamus exempla.

Auriculae propter tenuitatem et ſanguinem ex ventriculis ex parte refluum ſaepiſſime dilatantur, praeſertim tamen dextram vitium hoc pati, affirmat Senacus [41]. Auctor ex commentariis academiae Pariſinae affert exemplum de auricula dextra caput infantis neonati aequante; ex commentariis germanicis auriculae dextrae volumen enorme, compluribus ſacculis, ſanguine repletis, circumdatae, irregularis; ex Bartholino auriculam dextram ſex digitos latam, diaphragmati agglutinatam. Auricula dextra varicoſa, ventriculo cordis aequalis [42]. Eadem valde dilatata cum fibris laxiſſimis [43]; cum parietibus pertenuibus [44]; concretione polypoſa repleta [45]; dimidiatum cor aequans in corde praeter modum magno [46]; ingens aequans morſupium [47]; eam intus habens ſanguinis copiam, ut diſtenta magnitudinem cordis ferme aequaret [48]; magnitudo cordis tanta, quanta nunquam antea, ob ſummam praeſertim ventriculi dextri annexaeque auriculae dilatationem [49]; auricula dextra

41) L. c. L. IV. cap. VIII. pag. 411.

42) Fantonus apud Lieutaud. l. c. II. pag. 7. obſ. 415.

43) Morgagni l. c. Ep. XXI. 49.

44) Id. ib. Ep. XL. 23.

45) Ib. LVI. 7.

46) Ib. XVII. 6.

47) Ib. XVII. 8.

48) Ib. XVII. 10.

49) Ib. XVIII. 6.

dextra adeo dilatata, ut dextram cordis aequaret partem [50]); eadem valde dilatata cum finiftra arctiffima [51]) apud Morgagnium. Kerkringius (in fpicilegio anatomico obf. XVI.) auriculam dextram finiftrâ triplo majorem offendit.

Auriculae finiftrae dilatatatio, quamvis rarius dextrâ, tamen occurrit. Eam multo quam foleat longiorem cum frequentibus in aortae facie interna fquamis offeis; cum cordis reliquis cavis praecipue hanc aequo majorem; in corde jam magno auriculam finiftram [52]) tantam ut dimidiatum quafi cor aequaret; finum ei adjectum ampliorem et inaequalem; in alio cafu eundem ea amplitudine, ut omnes tantam amplitudinem mirarentur, carneis fibris per internam ejus fuperficiem exftantibus, vidit Morgagnius [53]).

Idem utriusque lateris auriculam interdum vidit dilatatam. Ballonius quoque utramque fic vidit diftentam ut cor totum folitae magnitudinis aequaret.

De cordis ventriculorum dilatatione jam fupra monuimus, eam praecipue cadere in ventriculum finiftrum. Quem van Swieten [54]) tantae deprehendit magnitudinis ut tres ejusdem lateris aequaret. Morgagnius [55]) eundem cum auricula (v. fupra) dextra dilatatum; tantam ejus caveam, ut poffet cor alterum normale continere cum parietibus tamen adeo tenuibus, ut vix motum cordis fuftinere poutiffe videretur. Simul aorta mole bubulae [56]). Siniftrum ventriculum maxime dilatatum cum auricula ei oppofita valde contracta et ftrigofa [57]); eundem

50) Ib. XXV. 2.

51) Id. ib. VIII. 23.

52) Ib. XXI. 4. XXIII. 6. XXXVIII. 10.

53) L. c. XVIII. 34. LXIV. 7.

54) Comment. in Boerh. aphorifm. Tom. I. pag. 292.

55) L. c. XVIII. 8.

56) L. c. XVII. 21.

57) XXVI. 21.

eundem cum craſſitie valde dilatatum 58); adeo diſtentum 59), ut cavum triplo majus quam ſecundum naturam comprehenderet. Senacus 60) ſe vidiſſe ait ventriculum ſiniſtrum ob columnas et valvulas auriculares oſſeas vehementer dilatatum. Idem 61) portentoſam cordis refert molem ob enormem ventriculi ſiniſtri dilatationem cujus latera etiam ſolito craſſiora videbantur. Valvulae ſigmoideae oſſeis tuberculis exaſperatae, oſtium tamen liberum. Cor ingens a dilatato praeſertim ventricnlo ſiniſtro ob arteriam aortam oſſeam 62).

In patris muſaeo plura ejusdem ventriculi exſtant dilatationes. Unum tamen praecipue memorandum adeſt ſpecimen, cujus valvularum oſſefactio inferius deſcripta, imago ad opuſculi finem reperietur. Ventriculus ſiniſter dextrum ſaltem duplo ſuperat; molem auctam parietes ſolito multo craſſiores teſtantur. Rete muſculoſum maxime complicatum ob fibras ejusdem numero auctas, mole minutas.

De ventriculi dextri dilatatione non adeo multa exſtant exempla, ſed tamen reperiuntur apud auctores, e quibus reliquarum cavitatum ſolito magis diſtentarum depromſimus exempla.

Adjeciſſe ſufficiat, ventriculum anteriorem ſaepe inveniri dilatatum cum poſterioris anguſtia; non tamen contrarium, ſed cum dilatato poſteriore fere ſemper dextrum dilatatum. Nec mirum, cum ſiniſter vel contractus vel obſtaculi ab aorta etc. poſiti cauſſa dilatatus, propter ſanguinis per pulmones iter liberum impeditum, viciniae cauſſa ſtatim in ventrem dextrum vim ſuam exſerens, facile huncce ultra normam diſtendat, idem autem propter longius ſanguinis iter non adeo viciſſim a dextri paſſionibus afficiatur.

Baillie

58) LVI. 17.

59) LXIV. 15.

60) L. c. pag. 413.

61) Apud Lieutaud hiſt. anat. obſ. 405. (c).

62) Lieutaud l. c. obſ. 413.

Baillie et Sömmerringius cl. [63]) valvulas venofas in cordibus fupra normam dilatatis morbofe incraffatas fefe femper inveniffe, dicunt. Patris fpecimina idem teftantur.

§. 12.

Si apud eundem virum clariffimum legimus, fe de diftenfioni cordis aneuryfmatica vehementer dubitare, hoc de eo tantum genere, quod fit membranae internae fine reliquarum diftenfione, valere poteft. Cujus rei rariffimae eodem loco ipfe adducit exemplum. Ventriculi finiftri apex in faccum erat dilatatus, pomum citri facile continentem, tenuior fano, membrana obtectus craffa, alba, opaca; pauculum fanguinis coagulati in eo.

Similis exempli imaginem dedit Walter cel. [65]).

§. 13.

Cordis moles diminuta.

Multo rarius cor vitio oppofito, exilitate fcilicet infolita peccare fuit obfervatum. Sunt tamen ejus exempla a variis auctoribus tradita. Sic apud Baillie [66]) Sömmerringius cel. affert ex diariis medicis Londinenfibus exemplum cordis e viro fexagenario tam parvi ut cor neonati aequaret, ventriculi aortici praeterea ex parte offcfacti atque in ejus apice rupti. Störk cor vidit magnitudine ovi gallinacei [67]); Chavaffe in viro fexaginta et quatuor annorum cor minus quam neonati [68]); Kerkringius in puero novem annorum cor neonati non majus cum vafis quovis refpectu normalibus [69]).

Mor-

63) L. c. pag. 25. et not. 47.

64) L. c. pag. 14. germ. 17. angl.

65) Memoires de l'academie des fciences de Berlin 1785.

66) L. c. pag. 28.

67) Annus medicus II. 231.

68) Sammlung auserlefener Abhandl. f. pr. Aerzte. B. XI. pag. 695.

69) Spicil. anat. pag. 43.

Morgagnius quoque exempla aliqua affert de corde parvo uterum ſano 70); de alio, praeſertim quod ad valvulas pertinet, valde exili 71); alio tam parvo omnibus dimenſionibus ut pueri, non viri videretur. In pluribus ſpeciminibus ab eodem allatis nullum functionum obſervatum fuit damnum 72). Lieutaud quoque cor citat juvenis febre lenta, alius febre ardente exſtincti aridum, exiguum, mire contractum 73). Idem plura affert exempla in quibus poſt febrem vaſorum enormem cor repertum fuit non exile modo, ſed marcidum, corrugatum, tabeſcens. Num nimiae febris violentiae effectus? Boerhaave 74) de corde loquitur compreſſo, fere plano, piri modici molem vix aequante, fere omnino cum pericardio concreto; de alio minimo, arido, tam inaequali ut vix pro corde haberi potuerit et ex Ruyſchio affert obſervationem, qua ſtabilitur, corda hominum tabe interemptorum minus majora et perfecta reperiri quam aliorum. Senacus 75) e Boneti Sepulcreto cor feminae citat minimum cum cavis exſanguibus.

Duo ejusmodi corda adultorum, illis puerorum vix majora, exſtant in muſaeo noſtro.

§. 14.

Vaſorum formae vitia.

Non eſt animus, hic de modo infinite vario, quo rami ex aortae arcu magni proveniunt, ſed de inſertionis ejusdem reliquorumque magnorum vaſorum deque vaſorum coronariorum cordis varietatibus diſſerendi.

Arteriam

70) L. c. Ep. XXVI. 17.

71) LX. 8.

72) Id. ibid. L. 4. XXX. 10.

73) Hiſt. anat. med. Tom. II. 14.

74) L. c. pag. 565. 566.

75) L. c. Tom. II. pag. 394.

Arteriam aortam ex utroque ventriculo provenientem vidit Sandifort in corde, propter plurima notatu digna paullo inferius fuse describendo [76]); eandem ad originem valde distentam et eodem modo orientem, ut ex utroque ventriculo digitus facillime in eam admitteretur Nerin [77]).

Notabile exemplum et rarum venae cavae inferioris duplicis legitur in commentariis academiae Josephinae [78]). In cordis, cujus auricula dextra praeter normam erat extensa, ventriculum dextrum tendebat vena cava inferior accessoria, a hepatis lobi dextri superficie convexa oriunda, magnitudine pollicis, et unâ cum vena cava inferiore normali per diaphragma thoracem ingrediebatur. Vas hocce apertum et ad hepar usque perlustratum sinum ostendit diametro pollicaris, tres canales minores a jecinore attrahentem. Venae huic accessoriae valvulae parvae tres sub margine cordis inferiore opponebantur. Num auriculae dextrae aneurysma effectus sanguinis per canalem hunc in ventriculum eodem quo auricula per venam cavam normalem implebatur tempore, properantis?

§. 15.

Venae cavae propter sejunctionem utriusque jugularis ad insertionem in auriculam usque dextram duplicis pater duo servat exempla. Idem casum rariorem et notabiliorem possidet in vena pulmonari dextra superiore non auriculam sinistram sed venam cavam intrante superiorem.

§. 16.

Ductum Botalli arteriosum in genere cum foramine ovali aperto reperiri apertum, auctor est Mayer [79]). Idem tamen in nota adjicit, se vidisse exempla

 foraminis

76) Observ. anatomico - pathol. L. I. pag. 10. sqq.

77) Medical commentaries for the year 1794. Decade second. Vol. IX. Edinb. 1795. 8.

78) Tom. I. pag. 265.

79) Mayer über die Blutgefäſse des menschlichen Körpers pag. 32.

foraminis ovalis late patentis cum ductu arteriofo prorfus claufo [80]). Nerin quoque eundem cum foramine hoc aperto vidit claufum. Nos quoque in patris collectione nullum exemplum ductus arteriofi aperti cum aperto obfervamus foramine. Sandifort [81]) eum vidit apertum cum foramine ovali aperto; Hunter idem cum foramine ovali claufo et arteria pulmonali ita coarctata ut fanguis pulmones adire non potuerit [82]).

Haller [83]) tertio jam a partu die in arteriofo ductu polyporum fanguinem fefe reperiffe, cum membrana ejus pulpofa pene connatum, totumque ductum claufum die 56mo; contra ampliter apertum die 90mo iterumque menfe decimo octavo dicit. Idem in adulto homine femel ad arteriae pulmonalis fedem, partem ejusdem canalis tres lineas longam vidit apertam. Ibidem ex aliis libris legere eft exempla de eodem prorfus aperto in juvene 22 annorum, in homine adulto, in fene.

Apertum in femina 20 annorum, infundibuliformem ut apertura magna quinque lineas longa arteriam pulmonarem refpiceret, vidit Muth [84]).

Wrisberg cel. in puella feptenni paullo infra orificium arteriae pulmonalis minorem vidit aperturam ductus hujusce prorfus patentis aortae inferti cum fepto normali [85]).

Ejus defectus obfervatus eft a Chemineau [86]); in embryone a Bartholino [87]).

§. 17.

80) L. c. ibid.

81) Obf. anat. pathol. L. I. cap. 1. pag. 16. fqq.

82) Medical obferv. and inquiries vol. IV. pag. 330.

83) Elem. phyfiol. Tom. VIII. pars II. pag. 9.

84) Gefchichte und Verfuche einer chirurg. Privatgefellfchaft in Kopenhagen. Kopenh. 1774.

85) Hallers Grundrifs der Phyfiologie. 1788. not. 54. pag. 77.

86) Memoires de l'acad. des fc. 1699. pag. 42.

87) Acta Hafn. Tom. I. n. CX. pag. 200.

§. 17.

Quod attinet ad vafa coronaria cordis, ea numero interdum variant. Sic Morgagnius [88]) arteriam coronariam vidit tertiam finiftrae proximam, orificio maximo gaudentem, multo faltem majore quam orificium arteriae adipofae, vel dextram duarum magnarum coronariarum femper reperiri fcriptae a Vicuffenio; immo tertiam et quartam in corde ceterum recte fefe habente [89]).

Easdem arterias peccare ratione voluminis viri ejusdem obfervata probant. Sic in corde in totum paullo majori vidit arteriarum coronariarum orificia diametro duas lineas Bononienfes fuperantia [90]); in alio arterias easdem valde dilatatas, praefertim unam adeo ut carotidis finiftrae latitudinem propemodum aequaret [91]); in alio cordis vafa intorfionibus varicofis fpectanda [92]). Vafa coranaria vitio contrario peccantia, praeter modum angufta, gracilia minus capacia leguntur in actis naturae curioforum [93]).

Mirandum et prorfus abnorme eft exemplum a patre fervatum venae maximae cordis non, ut folet, in auriculam dextram fed in finiftram hiantis. Cafus hic et alius de arteria pulmonali una in venam cavam fuperiorem terminata argumentum contra Goodrogni theoriam de diverfa utriusque cavitatis cordis irritabilitate praebere videntur, nifi forfan fanguinis diverfi copia in utroque cafu reliquae maffae admixti minor videtur quam quae judicium rectum permittat. De hiftoria hominum in quorum cordibus haec obfervavimus, nihil ad noftram venit cognitionem.

§. 18.

88) L. c. pag. 174.

89) L. c. XLVIII. 34.

90) LXX. 10.

91) XXVII. 28.

92) XXXVIII. 10.

93) L. c. Tom. VI. pag. 231. 32.

§. 18.

Valvularum forma abnormis.

In corde, circulationis organo primario, ad circulum ſanguinis rite promovendum plurimae poſitae reperiuntur valvulae. Quae ſecundum conditionis circuli hujusce pro hominis ipſius ſtatum diverſum varias ipſae variant. Circulus enim in foetu toto coelo diverſus ab adulti aliam quoque machinae hydraulicae requirit conſtructionem. In adulto circulus per pulmonem peragitur minor, cum, ſecundinis non amplius praebentibus oxygenium neque recipientibus ſanguinem hydrogenio et carboneo impraegnatum, ejusdem proceſſus chemici ſemper tamen adſit neceſſitas, in foetu, modo jam memorato cum huic ſuccurratur, ſanguini igitur per pulmonem non perficiendum ſit iter, via brevior a dextra in ſiniſtram eligitur, cui, quo minus impedimentum oriri poſſit a ſanguine ex ſiniſtra in dextram reſluo, valvula oppoſita eſt, ſub ovalis foraminis valvulae nomine nota. Valvulae igitur cordis recte dividi poſſunt in transitorias et permanentes. Illius generis ſecundum normam modo una reperitur et quidem foraminis ovalis; hujus ſunt valvulae Euſtachiana, Theheſiana, venoſae inter auriculam et ventriculum utriusque lateris, et arterioſae ad aortae venaeque arterioſae initia poſitae. De quibus ſigillatim agamus.

§. 19.

Si primo ad valvulam foraminis ovalis reſpiciamus, eodem loco conſiderandus venit hujus aperturae ſtatus, neceſſario a valvulae ejus conditione pendens.

Foramen ovale multo ſerius clauditur canali Botalli arterioſo, ſed multo frequentius ad ultimam aetatem manet apertum [94]. Interdum quidem jam altero a partu die nonniſi parvus in ſuprema ejus parte viſus eſt hiatus [95]; raro tamen ante annum revolutum omnino clauditur [96].

Quam-

94) Haller l. c. pag. 10.

95) Id. ibidem.

96) Haller l. c.

Quamvis minus recte a viris quibusdam in re anatomica claris nunquam claudi fuerit affertum, faepe veftigium ejus aliquod fupereft. Inter corda ob abnormem foraminis ovalis habitum notabilia a patre fervata unum eft, ubi eo loco, quo olim foramen fuerat, expanfio reperitur, tenuiffima, magnitudine fere thaleri, laxa, ad marginem dupliciter reticulata, nullo tamen loco perforata. In duobus aliis cum veftigio foraminulum eft, per quod acus diametri lineae unius vix penetrat. In quinque aliis foramen admittit fpecillum quatuor linearum diametri, ifthmus apparet carnofior folito, ut molis ejus auctae ope fpecies canalicularis evadat. In alio valvula foraminis ovalis fex locis non parum pertufa et dilacerata eft, praefertim in parte fuperiore. Ultimo tamen loco memorandus venit cafus ubi foramen ovale ad diametrum 8 linearum apparet apertum cum diftentione auriculae dextrae ob fanguinem ex auricula alterius lateris refluum aneurysmatica tanta, ut ventriculum fui lateris aequet.

Quae nobis videre contigit, Halleri fententiam a Cowpero depromptam 97), fequuntur, juxta quam in adultis tubulus eft, qui apertus fupereft aut plures etiam tubuli in fuprema parte foraminis ovalis fuperftites.

Interdum tamen aliis locis reperitur apertum. Sic Morgagnius fenis foramen a parte inferiore femel patere vidit 98); Trew in ejus valvulae medio aperturam.

Vieuffens foramen et valvulam vidit duplicem in homine quinguagenario. Alterum foramen altero paullo majus, utrumque prorfus apertum.

§. 20.

Valvula foraminis ovalis interdum, fi non coalefcunt margines ipfius et ifthmi, tam brevis, eft ut inter ipfius et foraminis marginem fuperiorem femper fpatium aliquod relinquatur, propter utriusque, qua fefe invicem refpiciunt parte, concavitatem lenticulare; interdum, quamvis adhaefio non locum habeat

97) Id. ibid.

98) Morgagni Opufcula mifcellanea Epiftola XV. n. 48.

beat vera, valvula ſat longa eſt ut margine ſuo ſuperiore pone arcum foraminis ovalis ſuperiorem adſcendat atque ſic foramen claudat 99). Membrana hujus valvulae ad auriculam dextram pertinens interdum reticularis, quaſi duplex reperitur, praeſertim ad marginem inferiorem, rarius ad ſuperiorem 100), cujus nos quoque ſupra attulimus exemplum.

Foramen hoc non impedire mortem in aqua ſubmerſorum, exempla probant non ita rara hominum in aqua mortuorum, in quorum corde foramen repertum fuit patens. Caſus aliquot leguntur apud Morgagnium et in patris muſaeo corda ſervantur duo, quorum foramen ovale ad 4 lineas patet, neque tamen quo minus ejus poſſeſſores in aqua obierint, impedire potuit. Sanior phyſiologia quoque hoc nullius uſus eſſe, ſatis luculenter docet.

§. 21.

Quodſi foramen ovale, quamvis magnum hiet, non cum alio cordis ſtructurae vitio ſit conjunctum, plurima exempla, nullum inde damnum oeconomiae animalis redundare, docent. Vitio vero accedente alio ſymptomata obſervantur ſat memorabilia, ſub generali morbi coerulei, lividi, nomine nota. Diligens cordum aliquot hoc modo affectorum hiſtoria phaenomenorum ſingulorum, inde neceſſario ſequentium, deductionem ſuperfluam reddere videtur.

§. 22.

W. Hunter 1) hiſtoriam narrat cordis infantilis, cujus foramen ovale late patebat, ventriculus dexter venaque arterioſa arctiſſimi erant ut haec ſtatim poſt exitum ex cavo ſuo omnino eſſet clauſa. Canalis arterioſus apertus, arctus tamen, in ſiniſtrum arteriae pulmonalis abiit ramum. Auricula dextra ſolito major. Vita ad decimum tertium miſere ducta diem.

Simile

99) Sömmerring Gefäſslehre. Zweite Ausg. pag. 17.

100) Sömmerring l. c.

1) Medical obſervations vol. IV. p. 330.

Simile exemplum legere eſt apud Sandifort [2]), idque maxima attentione dignum. Puer, qui a primo aetatis anno affectubus pulmonum, cordis, frigori membra percutienti, haemoptyſi, epiſtaxi, praeſertim vero colori livido totius corporis fuerat ſubjectus, vitam moleſtiarum plenam cum morte commutavit anno aetatis decimo tertio. Cor inventum fuit tantum, ut a coſtae primae et ſecundae ſpatio intermedio ad ſextam uſque pergens, pulmones fere omnino obtegeret. Cavum dextrum multo majus ſiniſtro, diſtentum et ſanguinis plenum; vaſa coronaria omnia ad minutiſſimos ramulos ſanguine turgida. Venae cavae et arterioſa paululum diſtentae. Aorta ad originem usque magna; arteria pulmonalis ad bipartitionem miro arcta. Ductus Botallianus omnino deſtructus. Foramen ovale apertum. Quod juxta arteriae pulmonalis obſtructionem maximi erat momenti, arteria magna e ventriculo dextro et ſiniſtro communi radice ita emergebat ut pone valvulas ſemilunares via pateret e ventre dextro in ſiniſtrum. Arteriae pulmonalis valvulae minimae et ſpecillo ipſi viam claudentes; ejusdem cavum duabus excreſcentiis inſuper fere clauſum.

§. 22.

Convenit cum hoc aliud exemplum, a Taccono in commentariis Bononienſibus deſcriptum et a Sandiforto clariſſimo denuo narratum [3]) puellae ad quintum aetatis annum valetudine optima gaviſae, exinde poſt caſum ex alto gravem lividae, emaciatae, rigentis, plane non reſpirantis, anno decimo quinto tandem mortuae. Cor non conoideum ſed cubo ſimile; ventriculus ſiniſter dextri, dexter ſiniſtri induerat formam. Arteria pulmonalis valvulis agglutinatis ita clauſa ut vix ſpecillum admitteret, vena pulmonalis rugoſa, ſumme contracta, exſanguis. Canalis arterioſus clauſus. Foramen ovale latius foetali patens, praeſertim qua parte dextrum reſpicit ventriculum. Tacc-

2) Obſerv. anat. path. L. I. p. 15.

3) Exercitationes academicae L. II. p. 69. 71.

Tacconus et cum eo Sandifortus foramen hoc casu illo apertum fuisse recte judicare videntur propter symptomata prius minime, post casum statim observata.

§. 24.

Morgagnius 4) cor describit virginis iisdem affectubus subjectae anno decimo sexto mortuae. Erat exile, ad apicem solito rotundius. Latus dextrum multo majus carnosiusque sinistro. Foramen ovale digitum minimum admittens. Valvulae pulmonales sigmoideae fere connatae, cartilageneo - osseae, sanguinis rivum tantum tenuissimum admittentes, productionibus exiguis carneo - membranaceis obsitae.

Nerin 5) post eadem symptomata cor invenit valde magnum cum venis coronariis varicosis, aortam in ortu valde latam, ex utroque ventriculo provenientem, arteriae pulmonalis valvulas valde contractas, ad basin ossefactas, cum apicibus arctissime membranae hujus arteriae internae adhaerentes, foramen ovale apertum, ductum arteriosum clausum, ventriculum anteriorem valde dilatatum.

§. 25.

Morgagnius 6) exemplum affert cordis infantis quindecim dierum, cujus foramen ovale reperiebatur apertum; quod quamvis non a norma deviet, totus tamen valvulae defectus abnormitatem praesagiebat futuram.

In commentariis academiae Josephinae 7) memoratur foramen ovale apertum, canalem potius propter obliquum a dextris ad sinistra novem linearum decur-

4) De sedib. et causs. m. Ep. XVII. art. 12.

5) Medical commentaries for the year 1794. vol. IX.

6) Ep. XLVIII. 62.

7) Abhandl. der Joseph. Academie, Band I. S. 282. 283.

decurſum exhibens cum valvula exili, tenui, nullo prioris adhaeſionis veſtigio; aliud exemplum foraminis ovalis aperti quoque oblique ſiniſtrorſum hiantis cum iſthmo ſat craſſo et protuberante.

Leveling [8]) tres narrat caſus foraminis ovalis aperti in adultis, quorum unum ſub iſthmi ſuperioris parte nonnihil dexteriore ita patebat ut digitum infantis facile admitteret; alterum ſub iſthmo dextro apertum, diametro calamum mediocrem facile admittente; tertium infra iſthmum ſolito ſiniſterius apertum cum iſthmo profunde deſcendente foramen ipſum ita tegente, ut ad id luſtrandum hujus elevatione fuerit opus. In caſu tertio valvula obſervata fuit novem lineas lata, ſeptem alta ad poſteriora convexa, ad anteriora concava ſupra iſthmum ita adſcendens ut a poſterioribus foramen ovale conſpici non poſſet, praeſertim cum in libero ſemicircularis veli, quod valvula referebat, margine inter cornicula ejus duo, dextrum et ſiniſtrum intercepto, reperiretur aliquid ſubtenſi, valvulam omnem parieti communi quam maxime reddens vicinam. In caſu utroque poſteriore membrana intima ex una ad alteram auriculam continua ovale orificium ſubtili plica circumſcribebat; iſthmus in primo ſat notabilis et ſuperius non modice craſſus.

Albinus ſe foramen ovale haud raro in adultis inque ſenibus quadam ex parte pervium reperiſſe narrat. Sed reperi, inquit, etiam in anu decrepita, quod cum corde creverat, non minus plenum quam in embryone, ut appareret, naturam, quemadmodum illud, dum matureſcit embryo, auget, ſic poſt etiam huic feminae perrexiſſe donec illa adoleverit [9]).

Mayer, ſeſe certe quindecies in cordibus adultorum vidiſſe valvulam foraminis ovalis, cum ejus margine quidem concretam, ſed foraminulum in ea ſuperſtes, eſt auctor [10]).

 Morgag-

8) Leveling obſerv. anat. rarior. Faſc. I. p. 4. 6. 7.

9) Annot. acad. L. I. cap. IX. p. 34.

10) Beſchreibung der Blutgefäſse, p. 14. Nota *).

Morgagnius inter novemdecim adultos homines ſeptem vidit in quibus foramen ex parte manſerat apertum [11]).

Sed cur diutius moremur in confirmando facto tot jam exemplis probato, ut Botallus et Folius [12]) immo ſaepius apertum manere quam claudi foramen ovale docuerint?

Praeter ſupra jam accuratius deſcripta foramina ovalia e muſaeo noſtro, eandem pene veritatem loquuntur innumera alia ſpecimina in eodem muſaeo conſpicua.

§. 26.

Jam ad alterius generis valvulas, permanentes ſcilicet, vergit oratio. Inter quas propter vicinitatem et relationem aliam, mox tangendam, primo loco recenſenda videtur ea, quae, inter ſinum venae cavae et venam cavam inferiorem poſita, inventoris nomine Euſtachiana vocatur. Inter auriculam igitur, ut modo diximus, dextram venamque cavam inferiorem ſita, ſemilunaris, qua parte latiſſima eſt a duabus ad ſex lineas expanſa, duobus oritur cornubus, quorum altero inferiore poſteriore a crure iſthmi ſiniſtro, vel paullo ſiniſterius a columna carnea, oſculo venae coronariae circumducta [13]), vel a margine muſculoſo qui auriculam dextram orditur incipit, altero anteriore graciliore in membranam anterioris partis venae cavae abit.

Dimidiam et ſiniſtram venae cavae inferioris praecipue occupat peripheriam; in foetu tenuis, in adulto ſenſim craſſeſcit, carnoſa fit et pulpoſa, potiſſimum qua ab auricula dextra primum exſurgit, alias tota in carnis abit ſimilitudinem [14]).

In

11) Opp. miſcell. Ep. XV. art. 29.

12) Uterque apud Hallerum Elem. phyſ. Tom. VIII. p. 2. 9. 10.

13) Halleri elem. phyſ. edit. 2. Tom. II. lib. IV. Sect. II. p. 115.

14) Haller l. c. p. 117.

In foetu nunquam foraminulis pertufa, neque, ut plurimis vifum eft, femper in adulto, cum inter fexaginta cadavera Hallerus nonnifi decem in quibus ita degeneraverat, invenerit. Reticulatus tamen ejus habitus non ita rarus effe poteft, cum tali fententiae dederit occafionem, fed ab Hallero femper morbofus putatur [15]), cum propter aliquod in pulmonibus obftaculum fanguis repulfus talem in valvulam hanc exferat preffionem, qua haec perforetur et fanguini reditus ad venam cavam, ex parte faltem, permittatur. Nunquam defiderari venae cavae valvulam, idem eft auctor [16]), fed Wolffii [17]), clariffimi olim Academici Petropolitani, qui diligentia prorfus immani in eruenda cordis fudavit ftructura, teftimonio, fe femel ejus obfervaffe defectum, credere cogimur.

Nonnulla in patris mufaeo exemplaria, et patris obfervationes, fecundum quas faepe ejus invenitur defectus, Wolffium recte, interdum eam non adeffe, judicaffe probant.

§. 27.

Memorandum, eam fere femper in ea ratione reperiri cum foramine ovali, ut, aperto hoc, ipfa remaneat magna et craffa, debilior appareat, claufo foramine. Lobftein [18]), Leveling [19]), et auctor in commentariis Academiae Jofephinae hiftoriarum de cordis foramine ovali aperto hoc annotavere; contrarium tamen interdum locum habere, duo teftantur exempla in patris mufaeo, ubi cum foramine ovali tam patulo ut bacillo quatuor faltem linearum diametri facilem det viam, valvula Euftachiana habitum affumfit maxi-

me

15) l. c. p. 118.

16) l. c. p. 119.

17) Acta Acad. Petropol. 1779. II. p. 119.

18) Differtatio de valvula Euftachii Argent. 1771. p. 18.

19) Leveling obf. anat. rar. 1680.

me reticulatum. Ratio phaenomeni facile e caſubus de foramine ovali unâ cum aliis cordis ſtructurae vitiis aperto allatis et ex Halleri de reticulari hujus valvulae habitu ſententiâ redditur. Si enim obſtaculum, ſanguinis e ventriculo dextro in pulmonem introitui oppoſitum, valde magnum et forſan inde a primis menſibus affuerit, foramen ovale apertum manere, ſimulque valvula Euſtachii reticulatum aſſumere cogitur habitum.

§. 28.

Valvulam venae coronariae, alias propendentem, vidit Morgagnius omni ex parte affixam, foraminulisque pertuſam [20]), alibi ejus loco filamentum tenue, per medium oſtium a ſuperioribus ad inferiora productum [21]); ejus orificium non membranea valvula inſtructum, ſed tenuibus crebrisque filamentis parallelis a ſummo ad imum deſcendentibus tam a dextris quam a ſiniſtris ita opertum ut ſanguis tamen inter filamentum et filamentum, magis autem per orificii medium, ubi filamenta prorſus deerant, tranſire poſſet [22]). Mayer [23]) auctor eſt, eam ſaepiſſime inveniri perforatam.

Pater orificium venae maximae cordis in auriculam ſiniſtram perverſe, ſicut ſupra jam annotavimus, pergentis, nulla valvula munitum ſervat. Nos, dum cor aliud diſſecamus, eam invenimus ſemipollicarem, magis ſolito oblique opſitam, unam tantum lineam altam. Pone eam quodammodo ſinus, ob venarum complurium non in maximam jam antea terminatarum orificia ſtatim pone valvulam hiantia. Totus orificii triquetri circuitus pollicaris.

§. 29.

Valvulae venoſae in ventriculis ſaepius quoad mixtionem et inde quidem neceſſario quoque quoad formam peccant; forma tamen ſola, ſi deſcriptionibus

20) De ſedib. et cauſſ. Ep. III. art. 20.

21) De ſedib. et cauſſ. LXVI. 9.

22) l. c. LXIV. 2.

23) l. c. p. 16.

nibus satis fidere possumus, peccare repertae fuerunt Morgagnio valvulae triangulares ita, ut, una ex iis cum justam servarit magnitudinem, reliquae duae solito longe minores apparerent [24]), valvulae mitrales in corde amplificato solito majores, crassiores, imis oris tuberosae [25]); alio loco in cordis magni valvula mitrali altera, qua parte alteram spectabat, foramen coecum, per quod specillum immissum ad lineae longitudinem adscendebat [26]). Valvulas venosas in genere in cordis cum mole revera aucta distensione jam propter tensionem necessariam amplificatas reperiri, auctores sunt Baillie et Sömmerringius [27]).

§. 30.

De valvulis arteriosis idem quod de venosis valet. Quod primum ad eorum numerum pertinet, exempla exstant, quibus probatur, normam hic nonnunquam excedi, nonnunquam ne quidem aequari. Hunterus [28]) unum affert de valvulis arteriae aortae semilunaribus nonnisi duabus; Sömmerringius [29]) ex Huberi manuscriptis citat observationes de duabus et quatuor valvulis arteriae pulmonaris sigmoideis. Quatuor in eadem arteria vidit Morgagnius [30]) et Petschius [31]), quarum tres majores, quartam minorem observavit. In patris musaeo quatuor valvulae arteriosae pulmonales quater servantur. In primo exemplo una est solito major, reliquae tres aequales, nec multum solito

24) l. c. Ep. XVII. n. 12.

25) l. c. XL. 23.

26) l. c. XXIII. 6.

27) l. c. p. 25.

28) On the blood. London 1799. p. 159.

29) Gefäfslehre p. 33.

30) De sedib. et causs. m. XXXIV. art. 15.

31) Hall. coll. disp. anat. Vol. VI. p. 774.

ſolito minores; in ſecundo et tertio una maxima, reliquae duae paullo, quarta multo minores ſolito, ut quarta vix tres aequet lineas; in quarto tres fere aequales normales, quarta parva. In omnibus obſervantur margines unius vel alterius, locis compluribus foraminulis pertuſi. Noduli in minoribus nulli. In genere plurimae tenuiores. Num haec omnia ad diminuendum obſtaculum ope ſolito plurium alias auctum? Quatuor valvularum arteriae pulmonalis ſpecimen offert Tab. II. Fig. I.

Modo duas in arteria pulmonari videre Petſchius [32]), Walter [33]), Sandifort [34]), et pater ejusdem rei ſervat exemplar, cujus expoſitionem habet Tab. II. Fig. II. et III. Omnes in eo conveniunt, valvulas, numero imminutas mole augeri; numero auctas, mole minui.

Peccant ratione ſtructurae quatenus interdum inveniuntur reticulatae, quod et nos obſervaſſe dictum eſt, et a Senaco depictum [35]) in valvulis ſigmoideis pulmonaribus. Aliam ceteris multo majorem vidit Morgagnius [36]). Globulis aut omnes, aut unam alteramve carere [37]), non ita raro obſervatur. Interdum paullo craſſiores juſto invenit Morgagnius [38]). Haec de valvulis pulmonaribus.

In aorticis ſtructura vitioſa, non tamen quoad numeri varietatem, quam crebrius obſervari in arteria pulmonari exempla videntur probare, frequentius reperitur. Sic Morgagnius eas invenit ſolito longe ampliores; in alio corde perparvas et corrugatas; ſtrigoſas et in ſe contractas; quoad aggeres craſſiores;

32) l. c. p. 775.

33) Walter obſervationes anatomicae, Berol. 1775. p. 9.

34) Obſerv. anat. pathol. L. I. cap. 1. p. 31. Tab. II. Lib. III. cap. 1. p. 19. Tab. VI. fig. 3.

35) l. c. tabula XV.

36) De ſedib. et cauſſ. m. XXIV. art. 15.

37) Sömmering l. c. p. 33.

38) l. c. XXVI. 33.

res; alteram in transverſum imminutam ut agger ſolito brevior appareret; alteram per medium a limbo ad aggerem uſque disruptam; excreſcentiis, viam coarctantibus, praeditas; in una corpus Arantii ſolito multo majus et ſub eodem valvulae laminas ita hiantes, ut ſpecillum poſſet immitti [39]).

Baillie aortae valvulam unam memorat craſſiorem, fuſcam, et, quod huc praecipue pertinet, fiſſura magna disruptam, quam lethalem fuiſſe propter magnitudinem cenſet [40]).

Mediam ventriculi ſiniſtri valvulam ſemilunarem plane conſumptam et deperditam legimus apud Lieutaud [41]). Sed hoc forſan potius ad vitia mixtionis referendum erit.

§. 31.

Valvulas aortae omnes parvas in corde a ſolita deflectente ſtructura vidit Morgagnius [42]); minimas [43]); idem easdem ſolito multo majores in corde amplificato quidem, non tamen eadem ratione [44]).

§. 32.

Septum cordis abnorme.

Septum cordis, foraminibus ſecundum normam coecis, flexuoſis pererratum, ad normam canalibus utrumque cordis cavum jungentibus praeditum antiquitus putabatur. Omnes tamen nunc in eo conveniunt, hoc, ſi revera unquam

39) l. c. XLIII. 17. XXVI. 12. XVIII. 2. XXVI. 13, XVIII. 34. LX. 2. LXIV. 19. XXIV. 18. LVIII. 13.

40) l. c. p. 20.

41) Hiſt. anat. med. Tom. II. p. 48. a Greiſſelio.

42) l. c. LX. 8.

43) XXIII. 11. LXVII. 11.

44) XLIII. 17.

unquam, rariſſimo tantum fuiſſe obſervatum. Morgagnius [45]) ſe interdum id vidiſſe ſcribit. Verba ejus haec ſunt: „Qua infra planum et laevum illud ad pulmonarem arteriam aditum, inaequalitates et foveae incipiunt, mihi in tribus humanis cordibus proclive fuit, per unam harum aut alteram immiſſum ſpecillum, neque id aliquando ex tenuioribus, ita in ſiniſtri ventriculi cavum transmittere, ut nullo negotio, nullaque prorſus vi adhibita, trajectum conſpexerim. Erant nonnunquam hae ſepti foveae prope hujus cum proprio ventriculi dextri pariete commiſſuram, alias ab haec aliquanto ſpatio remotae. Ampliores in orificio, quo magis ad ſiniſtrum accedebant ventriculum, contrahebantur. Verum in aliis cordibus non aeque feliciter res ſucceſſit: In uno pervaſit quidem ſpecillum, ſed non ſine dubitatione aliqua, ne ad extremum ſibi viam perrupiſſet. In ſeptem nullo pervaſit, etſi altius aliquando deſcendit. In his autem, iisque prioribus num aliae eſſent alibi, aut etiam ibidem, ſed nimis flexuoſae viae, pro certo non ſcio." Hallerus [46]) de foraminibus his verba hoc modo facit: Ego nihil unquam ſimile vidi, etſi facile intelligo, et ſtylo promte ſatis vim molli carni inferri, et fieri poſſe, ut ab ipſa ſanguinis aliquando in vivo animali nitentis violentia viae aperiantur, uti alias venae, auriculae, ventriculi cordis, arteriarum magni trunci rumpuntur. Certe in nonnullis, paucis tamen, hominum cadaveribus veriſſimus anatomicus T. Bapt. Morgagnus unum alterumve in ſepto ſub arteriae pulmonalis origine foramen reperit, quod ad ſiniſtrum ventriculum duceret.

§. 33.

W. Hunterus in ſepto cordis pueri tredecim annorum vidit foramen ad baſin magnitudine pollicis. Arteria pulmonaris praecipue ad ortum minima [47]). Idem [48]) et Pulteneyus [49]) mentionem faciunt cordum infantilium duorum in quorum

45) Opp. miſcell. Ep. XV. art. 62.

46) De c. h. fabrica. 8. Tom. II. L. IV. §. XIII. p. 160.

47) Medical obſervations and inquiries vol. VI. p. 291.

48) ibid. 49) Medical transactions vol. III.

quorum fepto foramen quatuor linearum eft confpiciendum. Sandifort [50]) in mufaeo Lugdunenfi cor foetus reperiri, cujus feptum perforatum, ex cujus ventriculo dextro aorta et pulmonaris arteria proveniat, eft auctor.

§. 34.

Excrefcentiae in corde.

In pluribus cordis locis reperiuntur excrefcentiae. Quae quamvis in ejus penetralibus crebrius quam in fuperficie externa reperiri dicantur, tamen et propter illarum incertitudinem et quae de iis etiamnum agitur litem, et propter harum refpectu illarum, verae an falfae fint, raritatem majorem, de his primo loco agemus.

§. 35.

Perrarum eft quod legimus apud cl. de Haenium [51]). „In corde, cujus auriculae admodum parvae obfervabantur, fingulare fuit invenire appendicem finiftrae auriculae, quae vermicularem caeci proceffum haud inconcinne referebat. Attentius examinando et per auriculam inflando, vidimus appendicem hanc genitam effe ex carnea auriculae fubftantia, totam effe carnofam, et hinc inde ea veftitam pinguedine, quae ad cor multa, juxta auriculam ad appendicem protendebatur: apex vero illius, inftar fundi facci rotundus, pingui caruit. Phaenomenon fane, quod aliis notatum non memini; Phyfiologis materiam praebens fpeculandi." Sed materia fpeculandi praebebatur minus, quia ipfe, auriculam folito minorem fuiffe, in principio affert auctor.

Bonetus [52]) e Zacuto affert inter magnae arteriae ramum et venae arterialis radicem carneam excrefcentiam duram et concretam effe repertam, coloris nigerrimi, binas fere uncias ponderantem; idem ex Garnerii obfervationibus

E 2 cor

50) Sandifort mufaeum anatomicum Vol. I. p. 234. n. VII.

51) de Haen ratio medendi, Pars IX. Viennae 1764. p. 39.

52) Sepulcr. Tom. I. p. 869. 870. obf. XV.

cor valde magnum neque naturaliter formatum, poſt diſſectum pericardium oſtendiſſe inter arteriae magnae caudicem et venae arterialis radicem in cordis baſi talem excreſcentiam carnis, quae unciam unam cum ſex drachmis libraret, et aliud corculum referret 53); ex Puerarii obſervationibus ſelectis corpus carnoſum et membranoſum, cordi naturali ſuperpoſitum, mole et figura aliud cor referens, quod venarum varicoſarum erat quaſi tomentum et fulcimentum, quas undequaque circumambiebat 54); in corde hominis palpitationibus obnoxii corpus carneum, cavum, membranaceum, auriculis annexum et unitum parte ſuperiore, paullo minus corde ordinario 55).

§. 36.

In cordis ſuperficie interna nonnunquam reperiuntur excreſcentiae complures variae magnitudinis. Hujus rei exempla in patris collectione contigit videre. Cor eſt, alterum humanum, alterum caninum; in primo excreſcentiae apparent tam in ſinu dextro, quam in ventriculo pulmonali et aortico. Caninum non niſi una excreſcentia carnea, ejusdem naturae ac reliqua cordis ſubſtantia, quoad viſum, praeditum eſt. De iis fuſius infra ſub Tabularum proxime edendarum explicatione.

Proxime huic accedere videtur Riverii apud Bonetum 56) obſervatio, qui in ſiniſtro cordis ventriculo invenit caruncula rotundas, ſubſtantiam pulmonis aemulantes, quarum major ad avellanae molem accedebat et aortae oſtium praecludebat, unde pulſationis defectum in arteriis contigiſſe putat Riverius.

Num

53) id. Ibid. Tom. I. obſ. XXIII. p. 832.

54) id. ibid. Tom. I. obſ. XXX. p. 836.

55) id. ibid. p. 820.

56) id. ibid. Tom. I. obſ. XIV. p. 823.

Num frustulum nigrioris carnis in corde sinistro feminae syncopticae, cordis dolore vexatae huc referendum 57)? casus plane similis ubi frustulum carnis mespiliforme inventum fuit in eodem ventriculo, sed supra arteriam 58)?

§. 37.

Sermo jam faciendus est de parte dissertatiunculae, si recta veraque voce uti licet, taediosissima, de corporibus illis in corde inventis quae sub polyporum nomine veniunt. Satis est nota de polypis illa, utrum jam in vita per aliquod tempus an paullo ante mortem vel ipsius tantum momento, vel modo post eam generari queant, inter anatomicos medicosque practicos contentio. Verum et hic in medio positum esse, casus et rationes ab utriusque sententiae propugnatoribus allatae, probabile reddunt.

Sed priusquam sententiam aliquam proferamus, celeberrimorum hujus capitis auctorum judicia colligere juvat. Primus concretiones has in cordis cavitatibus polypodis vocabulo insignivit Fabricius Bartoletus in scriptis anno 1633 editis 59); peculiarem tractationem de polypo vulgavit Pissinius, medicus Lucensis anno 1654 ipse fassus, nomen novum, rem non novam esse 60). Antea de iis tanquam de frustulis carneis, membranosis, pinguedine conflatis similibusque aliis vocibus a similitudine materiarum diversarum depromptis, fuerat sermo. Adipe conflari, olim putabantur, sed nullo jure, cum fons adipis nullus appareat. Qui pituitam eam vocare, qua polypi componuntur massam, non rectius dixere, nisi forsan partem sanguinis fibrosam hoc nomine indicare voluere.

§. 38.

Plurimi pro polyporum durante vita generatione et duratione eximii pugnavere viri, donec primus, sed solita levitate objectiones protulit Kerkrin-

57) Bonetus l. c. obs. XXXVI. p. 838.
58) ibid. p. 865.
59) Morgagnius XXIV. art. 24. Senac l. c. Tom. II. p. 443.
60) Morgagnius l. c. art. 25.

Kerkringius [61]), ideo polypum durante vita generari et exiſtere poſſe negans, quia, quoties libuerit, a ſeipſo injiciendo ſpiritu vitrioli proferri poſſit! Recte monet Senacus [62]), fortius argumentum obviam fuiſſe, obturationem ſcilicet vaſorum neceſſario ex concretione tali oriundam, indeque mortem ſubitam non evitandam.

§. 39.

Malpighius [63]) polypos durante vita exiſtere probare ſtudet. Eos talem habere dicit denſitatem et continuitatem, ut intra ſe receptum per foramen ab auricula ſanguinem vi circumſtantis cordis ipſos immediate urgentis foras protundant. Ejus ſtructuram deſcribit eſſe congeriem ſuperpoſitarum extenſarumque pellicularum, quae ſubſtantiae modo, nervoſum corpus cum aliquali tamen referant mucoſitate, et, ſi eadem laceretur, ſolvi videatur in oblonga et ſolida filamenta, eaque omnia manifeſtiora reddi in ejus appendicibus, faſciculi inſtar in fibras quaſi nerveas reſolutis [64])." Conſlari porro aſſerit eum a fibroſa ſive reticulari ſanguinis ſtructura, cum microſcopium fabricam oſtendat fibroſam [65]), cui, qua parte minus firme comprimitur, adſperſi ſint rubri cruoris globuli. Frequens polyporum in cadaveribus labe venerea, apoplexia, ſyncope, pleuritide, tabe, aſthmate exſtinctorum generatio [66]), eum ad concluſionem conduxit, polypos generari, quoties ſanguinis maſſa non in totum debito gaudeat fluore et compage, atque inde praecipitatis ejus particulis albis, prae caeteris forſan gravioribus, contexturae quaedam ſubſequantur, quae ex continentium partium et reliqui ſanguinis viribus figuram et molem ſortiantur,

quos

61) Spicil. anat. obſ. LXXIII. p. 145.

62) l. c. p. 443.

63) De polypo cordis diſſertatio in ejus opp. omn. Lugd. Bat. 1687. p. 311-319.

64) ibid. p. 312. 65) p. 313. 66) p. 316. 317.

quos polypos appellare placuerit 67). Scire se ait, quorundam esse placitum, per polypi tunicas interdum sanguinea propagari vasa. Quod licet mihi, pergit, hucusque videre non contigerit, adhuc tamen impossibile non censeo, nam ex sese insinuantibus sanguinis particulis, dum hinc inde fibrarum concretione coercentur, tubuli efformari possunt ut in colliquamento aliisque carneis concretionibus accidit 68).

§. 40.

Andreas Pasta, polypos nunquam in vita dari, contendit 69). Ei assentitur Morgagnius 70). Uterque polyposas concretiones e fibra sanguinis componi confirmat. Morgagnius ex eo jam, polypos nonnisi post mortem vult gigni, quod sanguis in corde et in omnigenis vasis cadaverum situ horizontali positorum ita coeat ut pars alba sit a rubra distincta, ut haec inferius sit posita. Recte ibidem dicit Morgagnius nimis facile polypos ad explicanda symptomata durante vita observata, fuisse adhibitos. Fuerat aliquis infirma et saepe etiam aegra valetudine quindecim aut viginti ipsos annos; si in mortui demum corde repertus fuisset polypus, hic jam inde ab initio exstitisse et malorum perpetuus auctor fuisse putabatur. Idem pariter accusabatur post morbum deprehensus celeriter conficientem. At cor aeque majus, ejus auriculae magnitudinis mirandae at pulmones pessime affecti simul deprehendebantur. Polypi tamen culpabantur. Sic apud Bonetum 71) legere est de polypo in ventriculo dextro cum mitralibus valvulis simul ossefactis; de alio 72), spithamarum

67) p. 317.

68) p. 315.

69) A Pastae epist. duae, altera de motu sanguinis post mortem, altera de cordis polypo in dubium revocato. Bergami 1739.

70) L. c. XXIV. 26. 27.

71) Sepulcr. Tom. I. obs. XX. pag. 563.

72) Ibid. obs. XXX. pag. 568.

marum duarum longitudine a ventriculo finiftro in aortam pendente cum tamen fymptomatum praegrefforum, palpitationum, leipothymiae etc. ratio redderetur illic a valvulis offeis, hic a pulmone indurato.

Medici putabant, fanguinem non tam cito poft mortem poffe coire, nulla ratione habita fubitae cruftae pleuriticae generationis.

Revera interdum arctiffime connexae videntur polyporum radiculae cum fibrillis cordis, fed aliud effe monet Morgagnius, polyporum quafi radiculas in cordis minimas foveolas et foraminula fe inferere, vaforum autem per fe aut intra fe repentium quandam interdum fimilitudinem oftendere; aliud continuari fibras ipfas et certis ac peculiaribus tunicis inftructa vafa fub oculos et fcalpellum cadere hos polypos incidentium. Haec Malpighio; non de poffibilibus hic fermo, fed de factis.

§. 41.

Senacus 73) polypos in corde vivo dari non dubitat, frequentiam tamen eorum non tantam concedit, quantam ftatuant auctores. Notas, quibus facile difcerni poffint illi, qui durante vita formentur a reliquis, ponit in illorum denfitate, elatere, tenacitate, duritie, longe majore habitu membranaceo, colore fufco, fymptomatum durante vita caterva fine reliquae cordis ftructurae vitio. Habitum eundem defcribit quem Malpighius. Modum generationis ponit in ftratorum fuprapofitione fenfim confecta, ex quo ftructuram explicat cepaceam. Auctor 74) ipfe figna polyporum verorum ab altiore confiftentiae gradu deprompta interdum minus certa judicat. Et huc valet celerrima cruftae inflammatoriae genefis. Symptomata praegreffa ad vitium nervorum vel nonnifi dynamicum cordis faepe referri poffe ex palpitationis et fyncopes cauffis ab ipfo traditis fequitur, ut igitur neque fic polyporum verorum generatio extra dubium fit pofita.

§. 42.

73) L. c. T. II. pag. 444. 445.

74) L. c. pag. 471.

§. 42.

Lieutaud quoque 75) atrocissimus polyporum probatur adversarius. De caussis syncopes loquutus, non abs re, inquit, erit, nonnulla per transennam in medium proferre de commentitiis illis polypis, ab auctorum turba celebratis, quae nihil aliud sunt quam concretiones sanguineo-lymphaticae quae, interstitia columnarum replentes, totidem radicibus cordis substantiae implantari videntur.

Si polypi nomine intelligatur sarcosis e cordis contextu prodiens, non secus ac narium polypi e membrana pituitaria exsurgunt: talem nusquam in corde observari asserere nulli dubitamus. Melius quam medicis practicis, pauculas dissectiones perficientibus, convenire judicium hujus rei, videtur ipsi cui, per triginta annos in nosocomiis cadavera referanti, post morbum quemque concretiones polyposae fuerint oblatae.

Sed dari sarcoses, exemplum a nobis supra allatum, probat; magnitudinis certam mensuram a natura positam quomodo crediderimus?

§. 43.

Novissime J. Pasta 76) contra polyporum in vita generationem est locutus. In syncope, apoplexia, polypos non formari et post virium vitalium reducum lusum denuo coeptum resolvi reliquaeque sanguinis massae admisceri non concedit. In aneurysmatibus nonnisi raro inveniri concretiones hujusmodi polyposas. Sed contra hoc experientia loquitur, illud nullo modo certo potest dijudicari.

Fatendum tamen, nos de argumentis ejus minus judicare posse propter tenuitatem recensionis; deficiente opere ipso, contenti esse cogimur.

§. 44.

75) Synopsis universae praxeos medicae 1765. pag. 196.

76) De sanguine et sanguineis concretionibus per anatomen indagatis etc. Bergami 1786. in commentar. Götting. anni 1787. pag. 1171-74.

§. 44.

Hallerus 77), fummus, defendat an oppugnet, graviffimusque teftis, pro polypis veris pugnat. Saepe vidi, inquit, et alii idonei teftes ante me viderunt (citantur Pechlinus, Blafius, Barrere, Senac, Peyerus, Bauhinus, C. Hoffmann, Riolanus) nimis dura et alba, neque adeo fubito nata folida coagula; in auricula potiffimum dextra, valvulis venofis cordisque lacertis arctiffime intertexta et demum ita innata (Bartholinus, Blafius, Caldefi, de Haen) ut lacerando feparare neceffe effet, aut demum minimis inter reticulatas cordis interni fibras quafi radiculis fuis infigerentur.

Polypum verum defcribit ut Malpighius et Senacus, addens tantum, teneros polypos grumum utique cruoris pro centro habere quem alba lympha in carnis tremulae fpeciem circumdet, omnino uti ruber grumus in vulneribus vaforum alba et lymphatica ambiatur nebula.

Membranas polypos involvere veras (fecundum Collins), aut in membranis hifce vafa reperiri (Diemerbroek) id utique nimium effe.

Sedes in dextro praefertim corde.

Polypus a corde per totum pedem extenfus (Sauvages) nobis faltem minus recte pro vero habitus videtur.

Praeter fabricam aliam quoque depromit notam a cordis propter fanguinem praeter polypum contentum diftenfione aneurysmatica.

Sed et haec interdum cauffa non effectus, interdum nullo nexu cum polypi generatione juncta effe poteft.

Cl. de Haen 78) duplex quoque ftatuit polyporum genus eademque ponit, quae Hallerus etc. criteria.

§. 45.

77) l. c. 8. Tom. III. pag. 39 - 45.

78) Ratio medendi Tom. II. p. 102.

§. 45.

Eidem fententiae fuffragatur cl. Burferius 79), qui in §. CCLV. fatis concinnam polyporum dedit defcriptionem. Argumenta ejus pro veris polypis haec funt: „quod jam adduxit Hallerus l. fupra citato“ 1) Aneurysmata, quae initio magna pulfatione attollebantur, faepe temporis progreffu omnem pulfationis ictum paullatim amittere, idque plerumque accidere ex eo, quod aneurysmatis cavum, concrefcente fenfim fanguine, et polypofa hinc orta crufta, quafi nova tunica interius obducatur. Referatum aneurysmatis cavum polypofas concretiones totam ejus interiorem faciem fuccingere oftendit.

2) Langhanfius narrat, a polypo fe difruptam vidiffe finiftram cordis auriculam qui tantae molis erat ac firmitatis, ut recens natus dici nequaquam poffet; neque nafci in ipfo mortis tempusculo eum potuiffe credimus, quoniam manifeftum omnino eft, quicquid fanguinis liquidi auriculae inerat, aut in eam ingrediebatur, antequam dehifceret rumpereturque, celeriter ab eadem dilacerata defluere debuiffe, neque quicquam ejus in ipfa retineri potuiffe, nifi quod jam multo ante coiverat firmiterque adhaeferat.

Tertium argumentum depromitur a polypis in parte vafis inter ligaturam duplicem pofita coagulatis et in finibus vaforum membri amputati.„

§. 46.

Sed videamus num haec clariffimi viri argumenta fufficiant ad probandum quod ipfi animus erat. Ad primum novimus, ftatum aneurysmatis arteriofi multum differre a ftatu cordis, immo aliquanto dilatati, propter quietem longe majorem qua fanguis in illo fruitur. Hic igitur multo facilius feparatio illa partium fanguinis fibrofaeque praecipitatio locum habere potuit, quam in

 orga-

79) Inftit. med. pract. Mediolani 1789. Vol. IV. Pars I. p. 305. cet.

organo perpetuo vividiſſimis motubus perculſo minime aſſumere poſſumus. Sed, ſi concedamus, dari ſtatus, in quibus ob vacantem cordis motum, ſicut van Swietenius [80]) in ſyncope voluit, quies ponatur ad hanc ſeparationem neceſſaria, quin poſt ſyncopen ſaepe longiſſimam, et ne dicam longiſſimam, quin poſt unamquamque ſyncopen obſervantur ſymptomata polypo vero adſcribenda? Num quia, ut idem vult van Swietenius, palpitationes obortae concretiones polypoſas ope ſol idorum fluidorumque percutiunt, diluunt, communi humorum maſſae admiſcent? Sed palpitationes eae poſt lipothymias altiſſimas obſervantur ſaepe tam exiguae, ut vix tanta vi gaudere putari queant.

Sed num forſan alio modo et reliquis, quos in corpori humano obſervamus proceſſubus magis conſentaneo, haec partis fibroſae in aneurysmatibus depoſitio poterit explicari? Continuitas arctiſſima materiae hujusce cum parietibus ſacci vero ſimile reddit, inſpiſſationem hanc non fieri detractione et excretione partis fibroſae ſanguinis e ſanguine in magno vaſe contento, parietes alluente, ſed potius ſecretione arteriolarum in arteriae membranis proximaque tela celluloſa decurrentium ope ſtimuli recentis et inconſueti et tenſionis et ſanguinis perpetuo allidentis aucta, quemadmodum v. g. cutis calloſitates, immo ganglia gigni ſaepe obſervamus.

§. 47.

Argumentum, cui maxime confidere videtur Burſerius clariſſimus nihil valere poteſt, ſi concedere cogimur experientia, polypos, quorum nullum durante vita adfuerat ſymptoma, interdum tantae eſſe denſitatis, magnitudinis et firmae cum lacertis connexionis, quanta de polypis tantum veris exſpectari poſſe credendum videretur. Hoc vero locum habere, et jam ſupra affirmantem adduximus Senacum, et autopſia perſuaſi ſumus per polypos duos in dextro ventriculo, quorum unicuique detrahi nullo modo poſſunt notae a Lang-

80) Comm. in Boerh. aphor. 1. I. p. 684. T. II. p. 175.

Langhanſio citatae; qui tamen nunquam ſymptomatibus ſeſe prodidere durante vita.

§. 48.

Nec majore vi pollere tertium videtur argumentum ſi ſtatum hic toto coelo diverſum dari reſpiciamus. Sanguis inter ligaturam duplicem incluſus nunquam renovatur, nullo novo miſcetur, ſequelas igitur neceſſario oriri diverſas, mirum non eſt. Idem valet de thrombo in orificio arteriae membri amputati, ſupra quod applicatur ligaturarum preſſio, neceſſario ſanguini adventuro viam claudens.

§. 49.

Recentiorum de polyporum durante vita generatione differunt opiniones. Baillie, ſaepe memoratus anatomiae pathologicae emendator illuſtris, eos revera dari dubitat. Verba ejus, quae et propter accuratam et concinnam polyporum deſcriptionem locum hic merere videntur, haec ſunt [81]): Polypus componitur maſſa lymphae coagulabilis, cordis cavitates aliquot ampliores, praecipue ventriculos, explente, in vaſa vicina explicata. Lympha coagulabilis colore gaudet ex flavo albo, vel flaveſcente, firmitate notabili. Cavum in quo reperitur aut omnino aut fere implens, in ventriculis inter lacertos musculoſos divaricatur. Inde nomen polypi. Extenditur quoque in arterias magnas venasque, ſaepe valvularum induens formam ſemilunarium. Exempla a me obſervata in praeparatis praeſertim, et praeter dubium poſt mortem demum nata fuere. Ut circulus ſanguinis ſervetur, cavitates cordis, quo ſanguini liber pateat tranſitus, liberae ſint, neceſſe eſt. Obturatio earum cum circulo vitam finit. Polypus vero cavum cordis in quo formatur, ita obturat ut ſanguini obex ponatur. Dici poſſet, polypum ſenſim effingi, et ſic circulum

81) Morbid anatomy. 15. 16. 17. Verſio germ. 12. 13.

culum per aliquod tempus, quamvis inperfecte, fervari. Argumentum tamen univerfum eft nullum, formari concretiones fanguinis circulo fecundum normam durante, fi modo partes huic muneri dicatae juftam retinuerint qualitatem. Polyporum fubftantia perquifita eum oftendit habitum qui, totum concrementum fimul fuiffe formatum, luculenter demonftret. Utrumque e diametro contradicere videtur opinioni de polyporum durante vita generatione. Quodfi generantur polypi, concretionem non ita fubito poft mortem fieri puto; quippe qui, cruorem non habentes admixtum, probant, coagulationem fuiffe fat longam, quae globulis fecundum majus pondus fpecificum feparationem a reliquis fanguinis permiferit partibus.

Concrementa fanguinis folito, in genere cordis cavitates haud ita multum explentia (quamvis interdum ejus exempla occurrant) ftatim poft mortem locum habent, quod cruor in coagulo reperitur. Notandum videtur, interdum in uno alterove ventriculo reperiri coagulum flavum, oleofi quid prae fe ferens, ut exacte adipem referat. Nihilominus nulla olei adeft admixtio, et omnibus lymphae normalis gaudet qualitatibus. Color coaguli interdum pendet a parte bilis admixta fi in circulum fanguinis venerit, v. g. in ictero; fed locum habet tunc quoque quando nulla bilis cum fanguine mixtae adeft fufpicio.

Sömmeringius cel. habitum eundem adipofum fibi quoque in polypis cordis arteriarumque quos vocent, praecipue in hydropicis, et in craffamento fanguinis a vivo homine deprompti, obfervatum adjicit in nota.

§. 50.

Maincourt contra in opere anno 1789 edito de fanguineis lymphaticisque male polypis dictis, concretionibus in corde et vafis per vitam exiftentibus[82]) polypos veros dari contendit. Diftinguuntur fecundum eum a fpuriis ope denfi-

82) Excerptum vide in Hufeland Annalen der franz. Arzneykunde Band I. p. 344.

denſitatis majoris, ſtructurae fibroſae, fiſſionis in lamellas oblongas, connexionis cum parietibus fibrisque carneis tam arctae ut cum iis corpus modo unum coloris fuſci vel profunde rubri referant. Strata concentrica nulla. Modo cavi, iique antiquiſſimi, modo denſi et expleti, iique aut in morbo ultimo aut in morte formati. Polypi antiqui in ſuperficie politi, prorſus cum fibris concreti, albidi (?!) molles (?!) hydatibibus, in viſcerum tumoribus inveniri ſolitis, ſimiles offenduntur. Hoc excerptum cum nobis tantum ſatis confuſe et leviter factum, legere contigerit, de ejus argumentis judicandi non eſt locus, notas tamen hic enumeratas minime polyporum verorum exiſtentiam probare, ex ſuperioribus patet. Cl. Conradi [83]) hanc adoptavit diviſionem, argumenta rationesque non addit, iis, quos Maincourt adducit, tanquam ſatis firmis confiſus.

§. 51.

Wichmannus celeberrimus in opere, nocturna manu tractando, diurna [84]), quoque, cordis polyporum verorum apparet fautor et quidem is, cui quod opponamus, nihil habemus. Poſt enarratam mira concinnitate et exactitudine morbi hiſtoriam, ſectionem pingit. Vaſa coronaria ſanguine tumebant. In ſuperficie anteriore macula apparuit valde communis, nullius momenti. Ventriculus dexter fere prorſus refertus fuit materie aliqua organica, excreſcentia carnea firma cum ejus parietibus ope trabium carnearum arctiſſime, inſtar ligamentorum concreta, nonniſi adhibita vi avellenda, radices neque in auriculas, neque cordis vaſa magna protendens, ſanguinis tantum circuitum omnino impediens; in aqua inſolubilis, figura irregulari, non bene deſcribenda. Pulmones ſanguine referti. Cetera ea, quae ſymptomata in auctoris opere enumerata nullo modo ciere potuerant.

§. 52.

83) In compendio anatomiae pathologiae 1796. 8. p. 426.

84) Ideen zur Diagnoſtik, 2te Ausg. 1801. II. Band, p. 205.

§. 52.

Arctiſſima haec cum trabibus carneis connexio, habitus carneus, defectus pedum, magna cum ceteris conjuncta rebus firmitas, duplex polyporum genus aſſumere ſuadent, ſed nulla re magis quam modo originis diverſum. Polypum verum rariſſimum, excreſcentiam eſſe carneam, fibroſam, e pariete cordis propullulantem ſicut idem in utero, ano, faucibus, naribus obſervatur, plurima ſuadent. Primo ſymptomatum, initio levium, incrementum ſenſim obſervatum; dein conſideratio quod ſtatus cogitari vix poteſt corporis humani vivi in quo conditiones locum habere poſſint dici ad hancce praecipitationem requiſitae; et, ſi v. g. in ſyncope eum dari putaverimus, nullo modo perſpici poteſt, quomodo, ablato hoc ſtatu nova incipi et peragi poſſit mixtio et in ſanguinem reditus, eo minus, quia eodem jure quo per leipothymiam ſanguinem in corde cogi concludimus, ad eandem mutationem quoque totius reliquae ſanguinis maſſae concludendum foret. Canales omnes obturati in vi ſua, jam initio nonniſi valde debili, exſerenda ita forent impeditae, ut, exhauſta mox parva ejus, quae adhuc ſupererat quantitate, omnino ſuccumberent.

Polypus, cujus Wichmannus cl. mentionem facit, cordi nulla parte annexus [85]), in ventriculo anteriori repertus, texturae firmiſſimae, lineas duas craſſus, pollices totidem latus, orbicularis, qui virginem octodecim annos natam, alias optima valetudine fruentem in paucorum dierum ſpatio ſymptomatibus a cl. auctore fuſe depictis, interemit; (cujusmodi Senacus ſuſpicionem quoque movet [86]), dicens: interdum polypos inveniri nullatenus annexos, ſuperficiei planae, qui, ſi in corporibus vivis formarentur, mutando ſaepiſſime locum, magnas arterias obturare, ſanguinem a ventriculis arcere, atque ſic pulſum abnormem reddere poſſint); opinionis noſtrae probabilitatem non imminuit, quippe qui interdum a ſanguinis vi vel ulla alia ex cauſſa, a corde poſſit avelli atque ſic turbas modo dictas ciere.

Sed

85) l. c. p. 207. 208.

86) l. c. Tom. II. p. 419.

Sed jam ſatis diu in tenebris hisce, nonniſi interdum ſolis radio dilucidatis, commorati ad quartam et ultimam ſcriptiunculae properamus partem.

PARS QUARTA.

CORDIS MIXTIO LAESA.

§. 53.

Agitur hac parte, quod vix praemitti neceſſe erat, de cordis vitiis in materiae alius quam quae ſecundum normam in partibus ejus diverſis adeſſe deberet, exiſtentia fundatis. Referenda ergo huc omnes erunt caſus ubi in quavis cordis parte loco fibrarum e. g. muſcularium, tendinearum inventae fuere cartilagineae, oſſeae, immo in lapideam degeneratae naturam — ubi proceſſu aliqno chemico-animali, inflammatione, exſudatione, puogenia, ulceratione etc. cordis aut in totum aut in partem mutatus eſt habitus. Quodſi, quam in parte altera ſelegimus, hic quoque ſequimur tractandi methodum, de hujusmodi affectubus, quatenus cor totum reſpiciunt primo, dein de partialibus erit agendum.

§. 54.

Cor inflammatum.

Morbi ſatis rari, non certa ſemper eruendi diagnoſi in cordis ſubſtantiam effectus a viris compluribus in arte medica et anatomica clariſſimis traditi fuerunt. Sunt tamen praecipuae reſpectu anatomiae pathologicae obſervationes eae, quasbeatus avus et cl. Ferro dedere.

Frankius clariſſimus, de carditide agens [87]), non ejusdem modo carnoſae ſubſtantiae, ſed et vaſorum majorum ac velamentorum hujus viſceris incendia, ſub eadem carditidis denominatione comprehendi fas eſſe dicit. Frequentior,

87) Epitome de curandis hominum morbis, Tom. II. p. 173.

quentior, inquit, certe istorum, quam ipsius cordis inflammatio occurrit; ac vasorum quidem, tam arteriarum, quam venarum hac in parte inflammationem, quam sex abhinc annos pro prima vice deteximus, frequentius exhinc tum nos ipsi, tum amici, quibus haec communicavimus, viri conspeximus. Pericardii etiam non tam raro nobis oblata est inflammatio; „sed cordis ipsius, nisi superficialem et erysipelaceam, hinc inde interruptam inflammationem, nec memoria suggerit, nec diaria nostra suppeditant." Quinquies certe, nisi saepius, cor totum, quasi villosum, ac pseudomembrana crassiori circumseptum, pericardium vero purulento humore plenissimum invenimus et conservamus; sed detracto ab eodem morboso hocce velamine: nec erosa, „nec aliter quam paullo ruberior," comparuit hujus visceris substantia.

Quotiescunque, idem pergit 88), absente quidem alterius in pectore morbi sat fundata suspicione, auxietas major, dolor ad cordis regionem, palpitatio ac vibratio fortis, pulsus irregularis, frequentissimus, lipothymiae aut simul comparent; aut, inter haec, palpitatio cordis violens, intermittens pulsus cum lipothymia observantur; aut nonnisi unum ex his deesse videtur; tunc probabilius de praesente aut cordis aut vasorum majorum, aut pericardii inflammatione argumentum habetur. Aegrotus, cujus Frankius arterias venasque non modo cordis, sed universi corporis, erysipelacea, sed profunde rubra phlogosi anterius notatas vidit, metu ac terrore, ob delictum capitale, insigni percussus, diuque profugus, levi primum cordis sub motu perturbatione correptus est. Auxit hanc continuo imminentis poenae ac delicti conscientia: quae noctes sub diu multas frigidasque transigere coëgit: quo primum tempore palpitatio cordis urgere coepit. Jam ira noviter exardescens, cor sibi stringi ac frigidam quasi auram hoc ad viscus adscendere persensit. Ad Fr. delatus, facie pallidissimus, continuo ac profunde suspiravit; pulsus, quos facile numerari posse non putabamus, 185, 200 uno quidem minuto, ictus, ab initio fortes, summopere vibrantes ac duros, sub morbi vero fine saepe

88) ibid. p. 174.

faepe intermittentes, debiles, vermiculares edebant. Cordis ipfius motus continuo infigniter vibrans, convulfivus, cum oppreffione ac dolore pectoris, praecipue finiftri, per totum hypochondrium ejusdem lateris extenfo, tactumque fugiente. Die decimo octavo ingravefcentibus fymptomatibus, fubitaneo in alterum latus converfus motu, praecipitanter exfpiravit.

Cadaver diffectum praeter dictam vaforum phlogofin, copiofam et quafi fanguine tinctam in utroque thoracis cavo aquam exhibuit; in praetumido pericardio feptem circiter unciae ejusdem naturae liquoris ftagnabant. Cor ipfum praegrande, aneuryfma referens ac ponderofum, ad fuperficiem externam naturali magis, cum vafis quafi injectis, rubebat; interna pericardii facies inflammata; pulmones dorfum verfus fanguine quidem infarcti; neutiquam vero inflammati.

Veniam rogare oportet, me hic contra propofitum, morbi hiftoriam fymptomatum que tradidiffe, fed quis Frankii non abriperetur fermone! —

§. 55.

Baillie [89]) carditidem raram, fere femper cum pericarditide conjunctam occurrere eft auctor. Quodfi ea pericardii pars, quae cor tegit, inflammatur, inflammatio interdum in cordis fpargitur fubftantiam, ubi tunc vafcula fanguinea apparent crebriora quam in ftatu normali, interdum fanguinis quoque extravafati flocculi. Cordis tamen fubftantia intacto pericardio incendi poteft. Baillie cafum vidit, ubi nullum in hac membrana inflammationis obfervabatur fignum, fed paullo plus aquae tantum in pericardio; hic tamen carditidem adfuiffe pulfus cordis tantus, qui ab aneuryfmatico arteriae ictu diftingui nequiret, credere coëgit.

§. 56.

Ferro cor hominis, fymptomatibus fupra defcriptis interempti, parte dextra et inferiore vidit inflammatum, profunde rubrum, vafa coronaria fangui-

 ne

89) l. c. p. 10.

ne turgida, polyposas in vasis magnis concretiones, superficiem externam excrescentiis obsitam albis, verrucosis, a sanguinis parte fibrosa genitis 90); in alio cor duo solita magnitudine aequans, exsangue, scarlatinum, similibus in parte externa excrescentiis stipatum 91).

§. 57.

Avus cor dissecuit 92), cujus superficies externa, ut ipse dicit, crusta crassa, a pure confecta, ut nobis, propter nullam vel minimam continui laesionem sive erosionem, videtur, a parte fibrosa sanguinis, erat tecta. Qua oblata cordis superficies in conspectum venit rubra, parum erosa, tunica extima privata. Adeps, musculares fibras in statu normali obtegens, neque hic desiderabatur, sed a vasculorum reti laete rubebat. Fibrae musculares ipsae minime affectae, solito tantum laxiores, reperiebantur et albidiores.

In alio casu 93) cor invenit crusta tam compacta, quatuor lineas crassa obtectum, ut tali inde confici potuerint, membranam cordis externam deficientem, superficiem cordis inde hisce locis inaequalem, materiam illam albidam in interstitia intermuscularia sese insinuantem, fibras ipsas illaesas.

Consistentia hujusce materiei, cor ipsum illaesum, nullo modo exulceratum; eam potius partis fibrosae, quam puris participem fuisse naturae, probabile reddit. Contra hoc loqueretur forsan nonnisi tunicae defectus externae, sed et avus ipse, eam non ubique desideratam fuisse dicit, et, materiam illam cordis superficiei tam arcte adhaesisse testatur, ut vix inde separari potuerit. Facili ergo negotio pars membranae cum parte fibrosa simul avelli potuit.

Morgag-

90) Medicinische Ephemeriden übersetzt von Rosenblatt 1795. S. 17. sq.

91) ibid. p. 167.

92) Histoire de l'acad. des sciences de Berlin 1758. p. 32. etc.

93) l. c. p. 33.

Morgagnius 94) caſum refert de mucrone cordis plus aequo rubente quem leviter inflammatum fuiſſe ſuſpicatur; et de columnis ventriculi ſiniſtri quaſi inflammatis, accuratiori tamen non adjuncta deſcriptione 95).

§. 58.

Valet ex allatis, cordis inflammationem fere ſemper cum exſudatione eſſe conjunctam. Nec mirum, cum et in ſtatu quoque normali, arteriolarum in cordis ſuperficie reptantium plurimarum, finis ſecretio ſit fluidi cor humectantis, et pericardium fere ſemper ſimul cum corde incendatur, hujus autem arteriarum functio praecipua ſecretio aquae pericardii ſit, atque inde neceſſario aucta incitatione functiones quoque augeantur, ſecretumque qualitate quoque diverſum producatur.

Inflammationem tamen interdum eum intenſitatis aſſequi gradum, in quo, ſicut in violenta pneumonia, blennorrhagia, ſecretio fluidi plane exſtinguatur, probabile reddit caſus a Lieutaudio 96) citatus de juvene, febre ardentiſſima, graviſſimis ſymptomatibus ſtipata, correpto et intra triduum morbi ſaevitia interempto, in cujus cadavere cor inventum fuit torrefactum, pyri toſti imaginem referens, pericardio plane ſicco. Siccitatem hanc non a pericardio non ſimul affecto derivandam eſſe, morbi gradus enormis probat ſubitaque lethalitas.

§. 59.

Non ita raro obſervatur pars ſanguinis fibroſa in cordis ſuperficie externa fibrillarum filamentulorumque formam referens. Sömmerringius villulos aliquot a mucrone libere, pericardio non annexos vidit pendentes 97). Materia

94) De ſedib. et cauſſ. morb. XIV. 40.

95) ibid. IV. 21.

96) Hiſt. anat. med. p. 16.

97) Baillie pathol. Anat. p. 28. X.

teria haec, cor retis inſtar obducens, albido - flava, naſcitur ex ſecretione arteriolarum exhalantium cum, vel ſine cordis inflammatione, aucta, et vaſorum abſorbentium ob affectionem ſympathicam functione turbata. Quae cum teneriorem modo lymphae ſecretae abſorbeant partem, craſſior ſub forma flocculorum, immo membranarum remanet, ſicut idem in pleuritide obſervamus 98). Hoc modo cor antiquorum hirſutum, villoſum, quod in heróum corporibus, Ariſtomenis, Leonidae, Lyſandri antiquitas inventum fuiſſe voluit, natum eſt.

Haec lymphae exſudatio interdum in cordis ſuperficie tantum obſervatur, interdum ejusdem cum pericardio producit cohaeſionem, ratione intenſionis et extenſionis multimode variantem. Sed a ſola cordis inflammatione, cum exſudatione conjuncta, ſine pericarditide hoc minime fieri poſſe videtur.

Injectionem in medio, connexionem hancce efficiente, luculenter ſemper vaſa oſtendere ſanguinea, auctor eſt Baillie 99).

Miror Walterum aſſerere: cor villoſum hirſutumve ſecundum ipſius experientiam eſſe rariſſimum, nec a ſeipſo in tot cadaverum millibus quae perſcrutatus ſit, detectum 100); cum et Hallerus cordum hirſutorum proprie ſic dictorum et ope hujus hirſutiei cum pericardio concretorum magnam alleget copiam 1); et Senacus, Weitbrechtium praecipue citans 2); et Morgagnius plurima afferat exempla, et Boſius 3); et Sömmerringius ſeipſum duo obſervaſſe exempla dicat 4); et in patris muſaeo magna eorum ſervetur copia.

§. 60.

98) Sömmering l. c. p. 3. not. 5.

99) l. c. p. 5.

100) Memoris de l'academie des ſc. de Berlin 1785.

1) de c. h. fabrica Lib. IV. p. 56.

2) l. c. T. II. CIV. c. IX. 424.

3) Programma de hiſtoria cordis villoſi Lipſ. 1771. 4.

4) Baillie 28. IX.

§. 60.

Interdum, et in primo quidem cohaefionis incipientis gradu, facies pericardii hactenus invenitur humida, ceterum nulla in eo gutta liquoris foliti, ut non prorfus cordi adhaereat, quamvis alicubi jam adhaerere incipiat 5). Idem, ex quo hoc depromimus, Morgagnius, paullo arctiorem concretionem per mucofam et fubflavam vidit materiam, cujus ope pericardium undique adhaerebat cordi 6); per fibras nonnullas ad dextram partem 7); per fibras multas membranaceas pericardium cordi annecti incipiens cum deficiente humore 8); pericardium cordi ex parte affixum 9); idem cordi per duas folidas, firmas productiones, cylindraceas, crafforum breviorumque formam referentes ligamentorum, quarum altera prope auriculam dextram enata fecundum horizontem ad pericardii partem anteriorem ferebat, altera, valde tenfa, a cordis ad pericardii mucronem tendebat, valide annexum; cor omnino cum pericardio concretum ope fibrarum villos referentium. —

De Haen 10) in hydrope pericardii cor invenit, fpeciem dilaceratam et erofam prae fe ferens, accuratius tamen perquifitum fanguinem fibrofum, flavi, atri coloris, ubique cordi annexum digitis ab eo avellendum oftendens.

§. 61.

In patris quoque mufaeo novem ad minimum continentur corda, pericardio accreta, in quorum aliquot conjunctio haec fit ope fibrarum fubtiliffimarum non omnino a fe invicem feparatarum, reti araneae fimillimum contextum referentium, ita ut pericardium circa trium linearum fpatio a corde diftet; in aliis vero tam arcte, ut fibrae nullae internofci queant et unum fufpicionem dederit pericardii omnino deficientis, ni accuratius examen contrarium, et peri-

5) Morgagni de cauff. et fedib. morb. p. 410.

6) XVIII. 25. 7) III. 22. 8) ibid. 13. 9) XXV. 15.

10) Rat. med. Tom. IV. p. XI.

pericardium potius inſpiſſatum, ſed cordi arctiſſime accretum, docuerit. In quatuor ſpeciminibus pericardium invenitur ad duas lineas inſpiſſatum, in duobus ex hisce quatuor flocculentum et inaequale ut fibrae potius ab eo quam a corde profectae videantur. In reliquis quinque non juſto craſſius apparet. Ceterum quinque ex his molem ſolitam ad dimidium fere excedunt.

§. 62.

Quae de morboſa hacce cordis cum pericardio concretione apud Baillie [11]) leguntur, hic tradenda videntur. Primo auctor hic quoque celeberrimus cordis cum pericardio connexionem non raro in ſectionibus inveniri aſſerit.

Coneretio haec, pergit, modo quibusdam tantum in locis, modo ſuper omnem ſuperficiem eſt expanſa. Membrana componitur aut tenui aut materia magis ſolida. Quodſi membrana tantum ſit tenuis, proxime telae corporis celluloſae accedit; ſi vero ſolidior, parum differt a lympha ſanguinis coagulabili. In utroque concretionis modo, ut nos quoque ex eodem jam ſupra attulimus, injectionis ope vaſa ſanguifera redduntur conſpicua. Concretio quoque in utroque caſu a membrana ſupra deſcripta pultiformi eſt formata; ſaepius enim occaſio data fuit ejus mutationem ſenſim effectam graduque diverſam videndi. Tales concretiones, inflammationem praegreſſam neceſſario teſtantur, et pericarditidem ſuperari poſſe oſtendunt. Pericardium cum cordis ſuperficie conjungunt diverſimode, ſtrictius vel laxius; quodſi ſtrictior affuerit conjunctio, inflammationem non tam antiquam fuiſſe quam in laxiore, ubi tempus aderat ſatis longum ad elongandas concretiones ope cordis motus, vero accedere videtur. Memorabile, cor cum pericardio concretum tanto impetu pulſare, ut nullo modo ab aneurysmate queat internoſci.

Sömmerringius ſe cor omnino cum pericardio concretum vidiſſe adjicit in juvene ſedecim annorum, cauſſamque invenit in preſſione undecim puris libra-

11) l. c. p. 4. 5.

librarum in finiftro thoracis cavo collectarum, a quibus cor dextrorfum pulfum, pericardio folito firmius appreffum, ob eam rationem tandem prorfus cum eodem connecti cogebatur.

Idem in cafu totalis agglutinationis cor valde dilatatum invenit, ut putat, ob pulfus vehementes, quod cum obfervatione noftra, fupra allata, convenit.

§. 63.

Quae apud complures auctores leguntur de crinibus in corde vifis [12]), huc quoque videntur referenda. Morgagnius tamen [13]), non ex fcriptorum qui de crinibus his fcripferint, operibus fat liquere inquit quidem, verine unquam pili an pilorum fimilitudo inter pericardium reperta fit; non tamen fe facile negare, fieri poffe, ut, quemadmodum ipfe intra duram cerebri meningem fafciculum repererit capillorum, alii autem alios alibi pilos, atque adeo intra dextrum cordis canini ventriculum (an illuc cum fanguine ex purulentis, in quibus erant, partibus invectos?) quomodo hoc? (facilius per negligentiam diffecantis), aliquis nondum invenerit cor pilofum aut inveniat: quod fi accidat, fumma tamen cum crinibus veris adhibendam effe comparationem exactitudine.

Cum eodem confentientem habes Senacum in opere faepius citato, ubi dicit [14]): Obfervationes quasdam non ob miraculofum quod habere videntur, effe rejiciendas; tempus forfan eas effe per facta confirmaturum.

Analogia crinibus veris favet. Reperiuntur in ovariis, praecipua eorum fede; in fteatomatibus in aliis corporis locis fitis, in omento. Aliae quoque materiae in locis toto coelo diverfis funt obviam, v. g. dentes, quoque in ovariorum fteatomatibus interdum reperti.

Sed

12) vide inftar omnium Hallerum de h. c. fabrica Tom. II. p. 56 - 61. qui tamen ibidem eos nil effe, nifi lympham infpiffatam affirmat.

13) de cauff. et fedib. morb. XXIV. art. 4.

14) l. c. Lib. IV. Cap. IX. p. 420.

Sed nimis ambigua res eſt, nec facile judicium admittens, cum propter caſus raritatem ſemper in tenebris nimiis ſit poſita.

§. 64.

Vermes, quae in corde et ad ejusdem ſuperficiem externam viſi referuntur ab auctoribus antiquioribus, cimiciformes, filiformes, lumbriciformes eodem cenſu, quo crines, veniunt. Quamquam non negari queat, dari poſſe vermes hic aeque ac in inteſtinis, generari quoque hic poſſe; cor tamen perpetuo motum, maxima gaudens incitabilitate, exemplorum allatorum antiquitas, exactitudo deficiens, auctorum quorundam apud quos leguntur, amor miraculoſi et negligentia in ſeparando vero a falſo nota, potius excreſcentias carnoſas vel, quod magis aridet, exſudationes lymphaticas eſſe, veroſimile reddunt.

§. 65.

Quae in cordis ſuperficie externa recenſentur materiae abnormes vel membranae obſervatae huc quoque jure referendae videntur. Sic quae apud Morgagnium [15]) legimus in cordis, valide cum pericardio nexi, ſuperficie externa corpora quaedam paſſim disjecta, albida, quorum pleraque figura, magnitudine, colore parva milii grana referebant, nonnulla autem aliquanto majora erant, figura abnormi; concretiones [16]) interiori pericardii, exteriori cordis ſuperficiei annexae, albumen in calida denſatum referentes et aquae tanta copia, ut pericardium diſtentum, ingens occuparet thoracis ſpatium; concrementa humoris, ſero vaccino ſimilis, per cordis faciem ſtrata; inaequales concretiones in externa ſuperficie, cor exeſum primo adſpectu mentientes [17]), facile, remanente membrana externa laevi, removendae; ſuperficies

15) de ſedib. et cauſſ. morb. XLIV. art. 4.

16) Morg. l. c. ep. XX. art. 36.

17) ibid. Ep. XXI. art. 2.

ficies omnis pericardii interna, cordis externa et auricularum, magnorumque vaforum lurida, obducente omnia materia quadam ex albido cinerea, calcem, parieti modo inductam, referente, nullo negotio detrahenda et difcerpenda [18]); cor fuperficie praeternormali vel crufta fungofa circumdatum, ut organum referret plane diverfum, ex quo praeterea omnibus locis proveniebant fibrae, connexionem ejus cum pericardio efficientes, cor exterius prorfus inaequale reddentes [19]) locum hic merentur.

§. 66.

Magis forfan propter externam fimilitudinem et formalem, quam ob materialem, maculas quas vocant cordis hic adducamus. Eas ab inflammatione praegreffa, vel raro faltem, ortas effe, quo minus credamus, frequentia impedit atque praefentia in cordibus hominum, de affectu tali nunquam conqueftorum. Albae funt, opacae, in fuperficie cordis externa faepe repertae, infpiffatae ejus membranae externae partes pollicem interdum in diametro aequantes, frequentiffimae, ut monet Baillie, in ventriculo dextro, rarius in finiftro et utriusque lateris auricula. Facile, membrana remanente incolumi, folvuntur, et tam frequentes funt, ut vix morbus haberi queant. Non una modo, fed plures in eodem corde inveniuntur, ratione dimenfionum multifariam variantes [20]).

§. 67.

Abfceffus. Exulceratio cordis.

Saepius invenimus morborum, quibus inflammationem, tanquam cauffam remotam, fere neceffario praecedere, experientia docemur, in corde phaenomena. Inter quos fuppurationem, erofionem, exulcerationem, dein gangraenam, poftremo infpiffationem tractare animus eft.

 Mor-

18) ibid. ep. XLV. art. 16.

19) Boerh. l. c. p. 494.

20) Baillie et Sömmerring l. c. p. 11.

Morgagnius cordis facit mentionem omni pinguedine orbati, lurida facie nec laevi [21]; alius facie inaequali et quafi corrofa, cujus fubftantia laxa adeo et flaccida erat, ut, tametfi circa bafin ventriculi dextri, ubi pars quaedam exigua mucofi puris exterius adhaerebat, vifa fit foramen habere, facillimeque fpecillum admiferit, „dubium tamen fuerit, num foramen antea effet, an ob laxitatem ipfum fibi fpecillum feciffet [22]. Walterus cafum defcribit, in quo pericardium vidit inflammatum, quo aperto magna puris flavi cum fanguine commifti, provenit copia, corque in confpectum venit undique laminulis materiae purulentae cinctum. Quae quo magis auferebantur, corque denudabatur, eo magis hoc luridum et inaequale apparuit et pluribus locis erofum, interftitiis mufculorum pure fcatentibus, mufcularibus fibris ipfis ex parte deftructis. Quod praecipue apparuit in ventriculo anteriore, non tantum inaequalitatem prae fe ferente, fed ita emollito et erofo, ut foramina duo in confpectum venerint magna, fimilibus puris ftratis obturata, fic fanguinis ex eo in pericardium exfudationem prohibentia. Pericardium eodem inaequalitatis vitio laborabat [23].

Morgagnius fuperficiem cordis affert leviter erofam [24], fed forfan a pericardii fero; membranam ejusdem, fed facile ab eodem fero, longa mora acriore facto, erofam [25]; idem in alio cafu ab eadem cauffa [26], quia in cafubus hisce tribus hic allatis hydrops aderat pericardii et aqua valde craffa et infpiffata.

§. 68.

Ulcufculum in corde [27]; cor exefum et ulceratum in media fere fui parte, qua diaphragma refpicit [28]; cor albicans, medio exefum et exulceratum

21) XLIX. 18. 22) de fedib. et cauff. morb. LIII. 29.

23) Mem. de l'acad. des fc. 1785. p. 66.

24) XVI. 17. 25) ibid. 43. 26) ibid. XXXVIII. 10.

27) Sepulof. an. I. p. 820. 28) ibid. p. 830.

tum [29]); plus quam dimidia ejus pars saniosa et putredine absumpta [30]); auricula sinistra variis ulceribus obsita [31]); ulcus in corde profundum circa auriculam dextram [32]); cor flaccidum et suppuratum [33]); cor siccum, nigricans, ulceratum [34]); abscessus ovum columbae aequans in ejus substantia [35]); abscessus omnem cordis superficiem tegens, cujus ope totus fere cordis contextus fuerat destructus [36]); basis, auriculae, totus ventriculus dexter, sinister maxima ex parte, septum, vena arteriosa, arteria venosa, venae cavae aortaeque truncus omnino destructi et erosi [37]); abscessus circa apicem dextri ventris pure sincero repletus, ultra pollicem longus [38]); abscessus haud parvus prope auriculam sinistram [39]); abscessus in cordis substantia [40]); cordis pars anterior ad magnam profunditatem suppurata [41]); versus basin penitus gangraenosa [42]); tota superficies absumpta et putrida, admodum extenuato corde [43]); tota cordis substantia absumpta, attenuata, magna vis puris in pericardio [44]); pericardium aqua saniosa et purulenta scatens cum cordis superficie erosa et exulcerata [45]); tria ulcera in cordis substantia non parum cava et sordida, ac multo jam tempore, ut videbatur, contracta [46]); ulcus profundum sub altera cordis auricula, quod pro antiquo ab adstantium corona habebatur; cor adeo profunde exesum, ut ipsius substantia in lacinias vel villos putrescentes abierit [47]); pericardium fere absumptum cum tota cordis superficie exulcerata [48]).

Sandifort [49]) levem in viri corde et superficialem tantum memorat suppurationem; Boerhaave [50]) pericardium memorat sanie repletum et distentum adeo

29) ib. p. 861. 30) ib. 863. 31) ib. 863. 32) ib. 878.
33) ib. 898. 34) ib. 892. 35) Messa apud Senac. p. 385.
36) Columbus apud Senac. 388. 37) ib. 390.
38) Barrere apud Lieutaud l. c. 27. 39) ib. 28. 40) ib. 28.
41) ib. 28. 42) ib. 28. 43) ib. 28. 44) 30. 45) 31. 46) 31.
47) Lieutaud p. 31. 48) ib. p. 32. 49) Exercit. anat. Tom. II. p. 79.
50) l. c. p. 497.

adeo ut thoracem metiretur dimidium et cor ita pure erofum, ut vermium reperiretur plenum. Sandifort [51]) cor totum et omnium vaforum origines crufta purulenta obducta invenit, fuperficiem externam fub hac erofam. Cruikfhank [52]) abfceffum in auricula dextra, plus quam unciam puris continentem. Ferro [53]) in homine inter pneumoniae acerrimae fymptomata mortuo cum pulmonibus illaefis apicem cordis fuppuratum et puris duas libras in pericardio. Chefelden bafin cordis exulceratam et magnam vim puris in pericardio [54]).

§. 69.

Haec de abfceffubus et ulceribus externis. In penetralibus itidem eadem obfervari phaenomena experientia docet. Bonetus ventriculum dextrum parte interiore membrana vidit denudatum et exulceratum [55]); abfceffum in facie interna ventriculi anterioris [56]) Senacus; idem ulcus, quod poft pericardium deftructum, cor ipfum erofum, in ventriculum penetraverat finiftrum [57]); Lieutaud [58]) auriculam dextram, pure fcatentem ex ventriculo ejusdem lateris manante; Sömmerringius [59]) memorat totum cor internum ita erofum ut vix lineas duas aequaverint ejus parietes. Idem foramen vidit in fepto, maffa coagulata praeclufum, per quod digitus transmitti potuit [60]). Legitur quoque cafus de ulcere ab interioribus ad exteriora quod penetravit et ruptura fubito facta aegrotum necavit, ubi columnae reliquae reperiebantur callofae, luteae, fere friabiles [61]).

Ad

51) Obf anat. path. Lib. IV. cap. X. p. 109.

52) Gefch. und Befchr. der Saugadern von Ludwig, Vol. III.

53) loco fuper citato. 54) l. c. 181. 55) Sepulcr. I. p. 849.

56) l. c. 386. 57) l. c. 388. 58) l. c. p. 28.

59) Baillie l. c. p. 10. 60) ib. p. 11.

61) Journal de medecine. 1991.

Ad exulcerationem internam duo quoque pertinent exempla a patre ſervata, alterum in quo cordis ventriculus ſiniſter apparet aneurysmatice diſtentus ob ulceratum annulum venoſum, cujus ſuperficies omnis interna apparet inaequalis, eroſa, cujus margo ex parte ad minimum quarta a tendinibus columnarum ulceratione ſeparatus ut hi libere pendeant; alterum valvularum aorticarum mira deſtructio. Limbi ſunt inaequales, laciniati, multimode plicati, flocculenti; membrana ventriculi ſiniſtri iis proxima ſimul eroſa et inaequalis.

§. 70.

Caſus hi, ex complurium alium caterva ſelecti, Baillie[62]) cel. forſan minus recte, abſceſſus et ulcera cordis nonniſi perraro obſervari, judicaſſe probare videntur. Secundum cl. Senacum regio baſeos cordis magis reliquis ſubjecta eſt huic malo, quod, quae nobis legere contigit obſervata, confirmant. Ex obſervationibus quoque hic allatis, ſuperficiem externam ſaepius internâ ſic peccare, apparebit.

§. 71.

Gangraena cordis.

Alius, inflammationem tanquam cauſſam remotam interdum ſequentis morbi, gangraenae rarius in corde leguntur exempla. Lieutaud [63]) ex Deidier duos affert caſus, alterum de corde maculis purpureo lividis obſito, mole majore, ſanguine atro et craſſiori ſcatente; alterum de corde ſtupendae molis, ſanguine atro et congrumato ſcatente, cujus auricula ſiniſtra gangraenae notas prae ſe ferebat. Idem ex Souliers ſectionem puellae, peſte interemtae, citat, cujus viſcera compluria gangraenae notas edebant, quae in corde quoque, mole maximo, obſervabantur [64]).

Quae

62) l. c. p. 11.

63) l. c. 33.

64) id. ibid. Tom. I. obſ. 1618. p. 386.

Quae ibidem de corde leguntur putrido, ad hoc quoque caput jure referuntur. Rob. Fludd 65) in homine derepenta mortui cor vidit ita corruptum ut ejus fubftantia butyri inftar mollis effet, digitique in apprehenfione facile penetrarent. Fibrae valde molles ventriculi anterioris 66).

Cordis feminae, morbo diuturno et taediofo interemtae, fuperficies gangraena tacta et quibusdam locis mere putrida 67). Morand 68) fubftantiam ventriculi finiftri vidit tam mollem ut fpecillo minima opera ubique penetraretur; legitur quoque cafus ventriculi finiftri lividi, atro coerulei, putris et flaccidi in diariis Goettingenfibus 69). In viro, angium pectoris obnoxio, fuffocatione mortuo, cor inventum fuit lividum putre et flaccidiffimum, ut minima digiti preffione perforaretur 70). Morgagnius alium citat cafum de viro, vulnere pectoris interempto. Pericardium cordi ex parte accretum, parum puris continebat; fuperficies externa cordis inaequalis et quafi erofa, fubftantia tam flaccida et putris ut fpecillum, facillime penetrans, utrum fibi viam fecerit, an jam invenerit, fuerit dubium 71). Stoll in ratione medendi, quo tamen loco, non exacte memoria fervat, in febre typhode, quam petechialem vocant in vifceribus plurimis et in corde quoque petechias invenit. Morgagnius cordis parietes fectiones oftendentes, quacunque inciderentur, ex cinereo fufcas et liventes vidit, cadaver tamen die decimo tertio, fed in hyeme, diffecuit 72). —

Gangraenae in cordis cafum videre nobis quoque fuit datum. Pater in demonftrationibus anatomicis, cordis hiftoriam traditurus, in dextri cordis fuperficie externa invenit maculam fere pollicaris diametri lividam, inaequalem et rupturam in ea, quae fi non in cordis cavum penetrabat, cordis fubftantia

eo

65) apud Lieutaud. ibid. 33. 66) ibid. 67) ibid. obf. 543. p. 34.

68) Hift. de l'acad. des fc. de Paris 1732. 594.

69) Götting. gel. Anzeigen 1786. St. 128. S. 1284.

70) Mem. of the medic. fociety of London, vol. I. no. 31.

71) de fedib. et cauff. mrob. LIII. 72) XXV. 10. de fed. et cauff. morb.

eo loco tantae erat mollitiei, ut minimae quoque ſpecilli, ſumma ſubtilitate immiſſi, preſſioni viam dederit. Per hoc enim in cor eſt ventum, quod hic quoque in parte interna, maculae externae lividae obverſa lividum exhibuit colorem et foraminulum. Sanguinis in corde nihil aut parum; cum in pericardio ad unciarum aliquot quantitatem reperiretur.

§. 72.

Reperitur cor interdum flaccidiſſimum 73), contrario valde durum 74), cum parietibus craſſis 75), coloris, ut ſupra jam fuit allatum, in totum coerulei et lividi 76), interdum pallidi 77) pro ratione aetatis et morbi, aliarumque conditionum, inter quas aegrotus abiit.

§. 73.

Locus hic videtur aptiſſimus, quo de cordis agatur continuo laeſo. Non de vulneribus quidem, — in ſcriptiuncula enim de iis tantum malis cordis quae producuntur ipſius actione morboſa vel particularum ejus generationi dicatarum diſtributione, jam a primis initiis vitioſa, quod ad ſitum reſpicit peccantem, agere animus erat, formamque ſed de iis quae ob nimiam tenuitatem, ob ulcerationem, putriditatem obſervatae fuere continui laeſionibus.

§. 74.

In corde mulieris ſeptuageſimo quinto aetatis anno defunctae, antea ſemper valetudinariae, ventriculus ſiniſter parte qua ſecundum naturam jam tenuior eſt, prope mucronem cordis lacerationem oſtendebat in medio ſanguine nigricante inter adipem et per hanc in pericardium effuſo. Aperto hoc ventriculo nihil aderat ſanguinis niſi grumulus ea parte adhaerens quae laceratae pinguedini reſpondebat. Qui lenta manu retractus indicavit foramen rotundum,

lentis

73) Morgagni de ſedib. et cauſſ. morb. loc. compl.

74) XXVI. 11. 31. 75) ibid. XLIX. 19.

76) XXV. 10. 77) LXX. 9.

lentis magnitudine. In culpa fuiſſe videtur os ad orificium hujus ventriculi poſitum venoſum pollicis diametri [78]).

Pericardium concreto ſanguine diſtentum, qui ex ſiniſtro prodierat ventriculo, ab ulcuſculo quodam ad cuſpidem perforato [79]); Sciſſura unciae dimidiae longitudine in ventriculo ſiniſtro ſecundum illius longitudinem ducta, circa quam cordis fibrae non recenti eroſione exeſae conſpiciebantur [80]). Harvaeus in ventriculo ſiniſtro rupturam, digitum admittentem invenit cum ſubſtantia cordis craſſa et firma [81]). In Georgii II. corde dextro ruptura [82]). Vaterus ventriculum dextrum in homine ſubito mortuo ruptum vidit [83]). Eundem duplo ſolito majorem et ruptum legis in Diariis medicis Pariſinis [84]). Murray poſt praegreſſam, ut ex ſymptomatibus enumeratis patet, carditidem in cordis ventriculo ſiniſtro rupturam vidit. Inter mucronem cordis et ventrem ſiniſtrum poſita pollicem longitudine aequabat. Juxta ejus finem ſuperiorem in conſpectum venit alia minor. Cordis ſubſtantia carnea in ejus regione ſolito multo tenuior, laxior, coloris atri, tanquam a gangraena affecta. Cor reliquum quoque atro - caeruleum, ceterum nullo obſtaculo ſanguinis praeditum [85]).

Idem caſum narrat a Villeſavoye obſervatum. Cor ſolito multo majus, item aorta; in ventriculo ſiniſtro apparuit fiſſura quatuor linearum; ſuperficies totius cordis foraminulis plurimis, rotundis, nigris, coecis, duas lineas altis, tecta [86]); alterum a Galeatti viſum in quo ventriculus ſiniſter fiſſura duarum linearum erat perforatus [87]). Morand in caſu emollitionis jam ſupra memo-

78) Morgagn. de cauſſ. et ſedib. morb. XXVII. art. 2. 79) ibid. art. 6.
80) ibid. art. 8. 81) De mortu cordis I. p. 180.
82) Philoſ. Transact. vol. LII. p. 265.
83) De mortis ſubit. cauſſis invulgaribus, Viteb. 1732.
84) Journ. de medec. Tom. IX. p. 516.
85) Neue Samml. der auserleſ. und neueſten Abhandl. für Wundärzte, St. 7. p. 24. 25.
86) ibid. p. 46. 47. 87) ibid.

memoratae ventris finiftri fuperficiem pofteriorem fiffura octo linearum vidit pertufum. Petrus de Marchettis 88) ulcus vidit, quod, e vulnere fterni ad coftam quartam et thoracis cavum finiftrum penetrans, omnem cordis fubftantiam ita exederat, ut in ventriculum finiftrum pervenerit. Bohn 89) in viro firmae conftitutionis ad uxoris latus derepente mortuo ventriculum finiftrum prope ad aortae orificium vidit ruptum. Lemmeryus 90) foramen in pariete ventri dextri fuperioris vidit, cujus margines exefionem et erofionem ab ulcere oculto teftabantur. Ventriculus finifter adeo dilatatus, ut cavum triplo majus quam fecundum naturam comprehenderet foraminibus tribus pertufum, per quae fanguis in pericardium erat effufum 91)

§. 75.

Ventriculum finiftrum faepius dextro disrumpi exempla allata docent, idemque afferit Morgagnius 92), et Baillie idem faepius in viris quam in foeminis obfervari, adjicit 93), quod propter motus vitales vehementiores, quibus viri fubjecti funt, evenire videtur. Fere nunquam auriculae rumpuntur; fiffurae creberrimae ad apicem. Ad bafin tamen quoque reperiri Bohnii cafus teftatur et alius, quem apud Portal nefcio quo legi, in quo bafis ruptura erat perforata.

§. 76.

Infpiffatio vitiofa.

Fere frequentiffimum omnium cordis vitiorum, fi dilatationem forfan exceperimus, eft infpiffatio, interdum inflammatione praegreffa orta, interdum fponte. Fere nulla ejus exftat pars in qua non fuerit obfervata. Gradu haec infpiffatio infinite variat, a tendine per cartilaginem ad os, immo lapidem adfcendit.

88) Obf. et tract. med. chir. Neap. 1772. obf. 47.
89) de renunciatione vulnerum, Lipf. 1711. p. 64.
90) Mem. de l'acad. des fc. 1732. 91) Morg. l. c. LXIV. 15.
92) l. c. XXVII. 10.
93) l. c. p. 22.

fcendit. Utrum tamen in efformandis offibus et lapidibus viam hancce fequatur, nefcimus. De lapidibus fi revere in corde obfervati fuerint, dubium, an non potius ftatim fuerint depofiti et naturam jam a primis ftaminibus habuerint lapideam. Analogia faltim fuadet. De offibus vero, ea per infenfibilem et gradualem fenfim formata fuiffe naturae tendineae et cartilagineae mutationem, terraeque calcareae phosphoricae depofitionem, eadem analogia fuadere videtur.

§. 77.

Vitium hoc interdum per totum cor legitur extenfum. Sic in actis naturae curioforum 94) cor defcribitur, laminas carneas cum cartilagineis exhibens intertextas. Lamina externa carnea lineam unam lata; ei fubjecta latior et vere cartilaginea; tertia rurfus carnea; quarta cartilaginea, dura, carneâ duplo craffior qua tegebatur; quinta et ultima tenuiffima carnea. Similem Morgagnius refert cafum 95). In ventriculo cordis finiftro hic illic paffim occurrebant loca, in quibus carnea cordis fubftantia aut alba aut ex rubro alba ita erat, ut primo glandularum quafi quarundam fpecie imponeret; fed renixu quodam peculiari fimilem fe oftenderet columnarum tendinearum diffecantibus. Vitium hoc carnis, in tendinem degenerantis, quo magis ab interiore ventriculi facie ad exteriorem pergebat, eo fiebat evidentius, pertinebatque exterius ad eum quoque locum cui feptum cordis refpondet. Maculas cordis jam fuprà tetigimus.

§. 78.

Concretiones quoque offeae in cordis fuperficie non ita raro inveniuntur. Morgagnius in corde non parvo, fed flaccido exterius in medio pofterioris faciei fquamam offeam invenit non parvam, alteram multo hac minorem exterius pariter in ejusdem cordis auricula dextra. Utraque fquama fic annexa erat cordis auriculaeque membranae, ut arctius tamen fibris carneis inhaere-

ret,

94) vol. X. p. 358.

95) de fedib. et cauff. morb. XLV. 23.

ret, ſine quarum laceratione haud poterat ſeparari 96). Aliud exemplum, et quidem inſignius, optime depictum exſtat in communicationibus medicis Londinenſibus 97). Os cordis faciem dextram opplet et anteriorem a baſi ad apicem inaequale, ſcabrum, radios ſurſum et deorſum emittens. Citatur ibidem aliud, fere totum ventriculum dextrum a baſi quoque ad apicem tegens, et ad ſepti directionem ab apice ad medium ventriculi ſiniſtri adſcendens. Lieutaud exemplum habet de baſi cordis variis eminentiis oſſeis exaſperata, cujus ſeptum et apex quoque duritiem contraxerant oſſeam, corpus oſſeum, ultra quatuor pollices longum, intra fibras carneas recondentes 9); de baſi cordis ſemioſſea, intra propriam ſubſtantiam os annullare ſuperficie inaequali claudens 99); in medio cordis diſſecto os tribus articulis conſtans, cavum, arenoſa materie repletum 100) habet idem; membraneam partem et carneam, quae ad ſiniſtram cordis regionem pertinet, oſſeam exhibentem duritiem 1); ventriculum ſiniſtrum durum et cartilagineum 2). De Haen in carne partis ſuperioris ventriculi ſiniſtri oſſeam concretionem invenit octo linearum longitudine, duriſſimam et acutam 3). In corde aſthmatici, palpitationibus ſubjecti, ventriculus ſiniſter per omnem ſubſtantiam carneam, ad pollicem craſſam, oſſeus ab apice cordis ſuper ejus baſin ad ventrem dextrum 4). Michaelis 5) cor vidit, ex uno oſſe formati ſpeciem prae ſe ferens. In cordis baſi neque rudimenta pinguedinis ſed regulare oſſeum ſtratum infra tunicam externam a pericardio et vaſis continuatam, latum a ſinu venae originem ducens, ubi craſſius videbatur, fibras ad utramque ſuperficiem mittens oſſeas, acutum cordis marginem legens. Aliud a baſi auriculae ipſius ſtratum fibras

radia-

96) ibid. XXVII. 16.

97) Medical comm. I. p. 228.

98) Hiſt. anat, med. p. 37.

99) ibid.

100) ibid. 38.

1) ibid.

2) ibid. 76.

3) Rat. med. Tom. VI. cap. IV.

4) Mohrenheim Wiener. Beytr. etc. Tom. II. S. 212.

5) Pract. Bibl. B. I. S. 116.

radiatim ſpargebat, inter ſe invicem contiguas, ſtratum ventriculi anterioris ambientes. Circa arterias coronarias circelli oſſei more inſularum exſurgentes. In cordis profunda parte plures, externa membrana ipſa excoriata, ex oſteogenia teſtae et cartilagines in proſpectum venere [6]. Ventriculi poſterioris partem oſſefactam legimus in Diario medico Londinenſi anni 1787.

Inter plurima exempla ab Hallero [7]) collecta praecipue memorandum eſt cor in octogenario late oſſefactum ut in ſuperficie cordis reticulata oſſa pene duarum unciarum pondere eſſent et oſſea materies auriculam dextram intus obducens. - Idem alium caſum narrat valde notabilem [8]). In juvene viginti annorum, palpitationibus donec viveret, obnoxio, ſcirrhi albi, alii duri, molliores alii, cor cum pericardio, irreſolubili omnino vinculo nectebant. Ventriculi dextri pars inferior ſemilapidea, calculi tophacei ex arenulis congeſti ope, cum pericardio cohaerebat.

Partem muſculorum externe oſſefactam ad magnitudinem pollicis quadrati [9]); et os triquetrum in corde vidit Cheſelden [10]).

Oſſis mytiliformis, magnitudine ovum gallinaceum aequantis, craſſitudine unius ad duas lineas, inaequalis deſcriptio et delineatio exhibita legitur in commentariis ſocietatis Joſephinae [11]).

§. 79.

In penetralibus cordis degenerationes materiae normalis in tendineam, cartilagineam et oſſeam ſaepius occurunt.

Morgagnius oſſiculum intra cordis ipſius ſubſtantiam vidit eo loco quem altera mitralis obtegit valvula, modicae craſſitudinis, ſed longitudine transverſum ſuperans pollicem [12]); et circa orificium venoſum ventriculi dextri os

in

6) Cruewel de cordis et vaſorum oſteogeneſi, p. 12. 13.

7) El. phyſ. Lib. IV. Sect. III. p. 128. 129.

8) Opp. minor. Tom. III. p. 365.

9) Cheſelden anatomy. Heart.

10) Oſteography, Tab. I. fig. 5.

11) Tom. I.

12) de ſedib. et cauſſ. morb. III. 22.

in fubftantia cordis ejusdem magnitudinis, majoris craffitiei, forma annuli dimidiati, cui mitrales valvulae adhaerebant, offeae pariter factae [13]).

Columbus feptum cordis interdum obfervavit cartilagineum; Boerhaave idem offeum. Ventriculum dextrum fquamulis plurimis obfeffum ut manus immiffa inde laederetur, Morgagnius; finiftrum crufta cartilaginea obfitum Veflingius; finiftri partem inferiorem annulo offeo cinctum Platerus [14]); auriculam dextram cum fquama offea Morgagnius [15]); finiftrae carnem lapidofa materie farctum Hallerus [16]).

§. 80.

Praecipue valvulae indurefcunt. Valvulae venofae interdum infpiffantur, opacitatemque quandam nancifcuntur. Simul funiculi tendinofi, praecipue ad velorum marginem, tuberculis cartilagineis exftruuntur nodofique apparent, cum infpiffatione membranae internae ventriculi ejus lateris [17]). Morgagnius valvulas tricufpidales vidit hic illic duriores; valvulas utrique oftio venofo praefixas diverfis partibus paffim craffiores ibique duras et albicantes; valvulas venofas ventris dextri ab ea facie, qua fpectant inter fe, nonnullas ad limbum protuberantes quafi glandulas oftendentes ex denfa intus firmaque fubftantia compactas; earum oras imas craffiores, duriores, leviter hic illic glandulis tuberofis obfeffas; limbos valvularum tricufpidalium mitraliumque totas parvulis, fubrotundis, quafi carneis tuberculis diftinctos; valvulas ad finiftrum ventriculum pertinentes omnes hic illic fubduras ficut ante quam offefcant, folent; easdem duras, nondum tamen offeas; valvulas mitrales cum eorum annulo revera offeas; excrefcentiam cineream, valvulis mitralibus innatam de cujus tamen natura non reddimur certiores. Valvulas mitrales in os mutatas, arteriam venofam obftruens, ut fanguinis per pulmonem ad cor tranfitus prohiberetur, vidit Bonetus; venam, finiftrum ventriculum ingreffuram,

13) l. c. XXVII. 2.
14) Obfervat. l. III. p. 636.
15) XXVII. 16.
16) Opp. min. l. c. p. 366.
17) Baillie et Sömmering l. c. p. 21.

ram cartilaginea ſubſtantia intus fere clauſam Lieutaud. Senacus ſeſe vidiſſe valvulas mitrales et tricuſpidales depreſſas, parietibus cordis agglutinatas, reticulis oſſeis, in quae tendines columnarum cordis erant mutati, circumdatas affert, et ſpeciatim de valvulis mitralibus narrat caſum.

Hallerus in hiſtoria ex operibus ejus minoribus ſupra citata praecipuum malum invenit in ventriculi aortici valvulis venoſis, totis duriſſimis et ſolidiſſimis, adéo calculoſa materia plenis ut paſſim diſſectis fibris creparent.

Valvulae tricuſpidalis annulus omnis cartilagineus, ſolito craſſior, orificium anguſtans ventriculi dextri venoſum, in patris obſervatur muſaeo.

Pluria ibidem valvularum mitralium cum tendinibus cartilaginearum et ex parte vere oſſearum conſpiciuntur exempla. Sic valvula mitralis inſpiſſata ad trium vel quatuor linearum craſſitiem, columnae ſtatim in valvulam abeuntes tendine modo uno, inde craſſiore et praeter normam duro. Orificium tantum quinque linearum diametrum metitur, nec propter inflexibilitatem valvulae amplius dilatari potuit. In valvula mitrali anteriore os quatuor lineas altum et longum cum tendinibus plane oſſeis. Venter ſiniſter aneuryſmaticus. Allata docent, valvulas mitrales frequentius tricuſpidalibus inſpiſſari. Tabula tertia Fig. I. et II. offert annulos oſſeos valvulae tricuspidalis et mitralis cum tendinibus hujus inſpiſſatis, orificio ſimul anguſtiori.

Sic Valvulae venoſae ventriculi aortici cartilagineo - oſſeae rimulam inter parietes ſuos linquentes habentur Tab. IV.

§. 81.

Ad valvularum ſigmoidearum vitium hocce converſi, aorticas quoque eidem multo ſaepius pulmonalibus eſſe ſubjectas, facile videmus.

Baillie [18]) interdum valvulas ſigmoideas valde inſpiſſari et opacas reddi, ſimul membranas appoſitas incraſſari morbumque ſubire ſibi videri affert. Sömmerringius ibidem hoc praecipue in valvulis aorticis obſervari affert. Oſteogeneſi in valvulis praecipue ad ſenectutem pertinet, ſed eadem a Baillie

ſemel

18) l. c. p. 20.

femel in puero decem annorum, a Sömmerringio in viris florentis aetatis interdum fuit obfervata.

Morgagnius eas invenit duriores; duriores et craffiores praecipue in limbis; corpufcula Arantii duriora et craffiora; unum in carneam excrefcentiam; in alio cafu in excrefcentiam ex parte mutata fingula corpora; aggeres craffiores; pene offeos; ex parte offeos; prorfus offeos. Totas valvulas idem vidit tendinei quid habentes, ex parte offeas; offeas et introrfum protuberantes; offeas, ad limbos tuberculofas; offefcentes, ex parte offeas, femel unam prorfus offeam [19]).

Chefelden valvulas aorticas omnino calce tectas fefe vidiffe refert in corde anus hydropicae [20]). Hallerus eas vidit partim callofas, partim petrofas [21]), fquamam offeam in aliqua cum fcrupis arenofis inter utramque laminam effufis [22]); offeas et coalitas ut nullam fanguini darent viam [23]); finus inter duas membranas valvularum aortae calculofos, lapideos; in valvulis aorticis ipfis inter membranas materiem fabulofam, tendines, eas retinentes, pulpofos, offeis fquamulis varios.

In patris mufaeo fervantur plurima talis degenerationis exempla. In uno valvulae aorticae cartilagineam induxere naturam, praecipue partem verfus eam quae ad limbos refpicit. Limbi ipfi et noduli cartilaginei; noduli mole aucti. Sinus cartilagineo - offei. In alio media et anterior morbofe concretae, in finubus natura cartilaginea, inde arteriae coronariae anterioris foramen anguftatum. In aggere communi cartilaginei aliquid. In tertio valvulae incraffatae, maxima ex parte offeae, inaequales, partim membrana obveftiente privatae;

19) De fed. et cauff. XXIII. 6. XXVI. 33. XXX. 7. XXIII. 4. XXV. 10. XLVIII. 38. LXIV. 7. XVIII. 34. LX. 2. LXIV. 19. XXIV. 16. LX. 4. LXIX. 2. XXXVII. 30. XXIX. 20. X. 9. XXVII. 2. LXVII. 14. XXI. 15. XXIII. 11. XXIII. 8.

20) Anatomy p. 182.

21) Opufc. pathol. obf. 18.

22) ibid. obf. 51. 52.

23) Elem. phyf. 169.

privatae; una earum mole aucta, fecunda et tertia compreſſae, haec praeſertim a magno oſſis fruſtulo, infra eam poſito, quatuor lineas craſſo, inaequali, fiſſuris lacerato ad annulum quoque venoſum pertingente. Ventriculus aneuryſmaticus. In quarto valvulae aorticae ita oſſefactae et ſibi invicem approximatae ut rimula tantum adſit in medio, longitudine quatuor linearum, latitudine unius. Valvula anterior ab aggere ad nodulum os continet inaequale, duas lineas latum et craſſum; nodulus inde valde prominens, margo valvulae ſemilunaris ex altero latere bipartitus receſſum format in ſe ipſum reflexus; valvula media, minus oſſeſcens, arctiſſimo ſpatio quatuor linearum unita eſt cum poſteriore, quae propter enormem oſſificationem formam penitus amiſit et plurimum ad obſtruendam ſanguini contulit viam. Ejusdem naturae aliud eſt ſpecimen, ubi quoque valvulae invicem junctae et ad quatuor linearum conſiſtentiam oſſeae, rimam tantum ſanguini concedunt, per quam fluat, ſatis parvam. Unum horum ſpeciminum valvularum oſtii aortici oſſefactarum offert Tab. III. Fig. III.; aliud in tabulis mox edendis cum aneuryſmatica ventriculorum diſtenſione habebitur; valvularum earundem ex parte oſſefactarum, ex parte eroſarum offerunt Tab. III. Fig. IV. ut et Tab. V.

Silentio praetereo exemplaria alia in quibus minor obſervatur degenerationis, praeſertim corporum globuloſorum Arantii, gradus.

§. 82.

Arteriae coronariae inſpiſſatae.

Supereſt ut de arteriarum coranariarum agamus incraſſatione. In corde, membrana lymphatica tecto leguntur praeter modum anguſtae et minus capaces, ut vero ſimile eſt, propter communes inflammationis ſequelas [24]).

In Parry cl. opere de ſyncope anginoſa nonnulli leguntur caſus ſectionum hominum, hoc morbo defunctorum. Jennerus [25]) arteriarum coronariarum membranas invenit inſpiſſatas, fere cartilagineas, utriusque ſuperficiem internam

24) Act. nat. curioſ. vol. VI. p. 231. 32.

25) Parry über Syncope anginoſa

nam fubftantia tectam, parum ab ea diverfa, quae formata in angina tracheali, tracheam interne tegit, diametrum horum vaforum valde diminuente. Perfecutus eam, minutiffimas ad apicem cordis usque ramificationes ubique feparare potuit. Structura ad utriusque arteriae bifurcationem usque denfa et firma, inde fenfim fenfimque a fingulis divifionibus arteriarum tenuior et gracilior. Idem utramque arteriam coronariam memorat ex parte offefactam; quae offificatio, a parte qua ex aorta proveniunt, tanta erat ut tres arteriae longitudinis expleret quadrantes et quatuor pollices aequaret, et fpecillum valde parvum non immitti poffet cavo [26]. Incruftationes durae in utriusque arteriae cavo, facile extrahendae, canalium offeorum fpeciem referentes, cum arteriis cohaerentium. Utraque pollicem unum cum dimidio aequabat, orificio gaudebat, probam minimam non immittente [27]. Verba ejus de generatione hujus phaenomeni haec funt." Vero accedit, congeftionem fanguinis praeternormalem in vafis vaforum ftatus inflammationis, fuppurationis, abforptionis, offificationis, in cartilaginem mutationis et forfan in verum fcirrhum, poffe gignere, ubi fimul in altero cafu conditio conveniens rigiditatis et contractionis, in altero ftatus debilitatis et ad dilatationem inclinationis locum habet [28].

Morgagnio [29], cordis exteriorem faciem examinanti fefe obtulit arteria coronaria finiftra in canalem offeum ab ipfa origine ad tractum plurium digitorum mutata, qua bafeos magnam partem amplectitur. Sed et rami illius praelongi, quem per anteriorem cordis faciem demittit, pars erat offea jam facta ad tantum fpatium quantum digiti transverfi tres operirent, ut via fanguini utrobique pateret non per canalem membranaceum, aut quam disjectae lamellae offeae hinc inde duriorem facerent, fed per tubulum offeum perpetuum, vix nonnullis in locis minus durum, iisque perexiguis, et cum transverfa lineola exilis arundinis comparandis.

 The-

26) ibid. p. 22. 27) ibid. p. 26.

28) ibid. p. 133. 29) de cauff. et fedib. morb. XXIV. 16.

Thebesius [30]), habent, ait, arteriae coronariae, tanquamprima soboles aortae hoc cum illius trunco, e quo egressae sunt, commune, ut osseae aliquando fiant. Ita enim Lipsiae videre contigit ramos majores arteriarum in corde humano per convexam superficiem ad cuspidem decurrentes, hinc illic ex parte osseos redditos, ex parte tantum membranaceos fuisse.

Crellius [31]) cum arteriarum cordis nutritioni dicatarum distributionem esset demonstraturus, earum sinistram talem subiisse vidit mutationem, qua in os verti arterias perhibent. Hanc conditionem inprimis observavit in ejus rami insignis toto itinere, qui per marginem obtusum cordis duobus fere parallelis ramis in plani superioris cum inferiori limitibus ad mucronem usque descendit. Exteriorem quidem tunicam nihil a statu normali membranae recessisse, sed duriorem intus nucleum recondere apparebat; dissecto secundum longitudinem canale, interior etiam tunica, quam nerveam dicunt, integra manserat, transparente itidem per illam corpore alienae indolis, coloris ex albo flavescentis, cujus majorem crassitiem circa ramorum inprimis e trunco egressum animadvertebat. Arteria, ad resciscendam hujus corporis duri naturam undique compressa, materies, illi, quae in atheromate vel meliceride alias continetur, similis, per poros ejus erupit, qua sub specie vermiculari expressa, maxima illius pars solidior, ceterum ejusdem coloris, intus remanebat. Patris musaeum aliqua hujus mutationis affert exempla. In altero corde arteria anterior, dextra, per quinque pollicum decursum ab origine inspissata est plus minusve, et maxima ex parte revera ossea; posterioris, sinistrae ramus anterior per tres, posterior per unum cum dimidio eandem passus est mutationem. Quantum aortae cum corde conjunctum remansit, pluribus squamis osseis scatet. In altero utraque quidem coronaria frustula continet ossea per tractum trium pollicum, sed praecipue in sinistrae ramo anteriore canalis

reperitur

30) Diss. de circulo sanguinis in corde, §. 4.

31) Crell respondente Reinhold de arteria coronaria cordis instar ossis indurata. p. 5.

reperitur offeus fesquipollicaris a membrana externa facili negotio feparandus.

§. 83.

Vitia adipis cordis.

Weitbrechtius totam cordis fubftantiam carneam in materiam degeneratam vidit adipofam, e ftratis plurimis craffioribus, tenuioribus compofitam 32). Morgagnius plura pinguedinis abnormis in corde refert exempla. In homine alioquin non obefo, cor adeo pingue, ut ab anteriore facie infpectum nil nifi pinguedo in confpectum venerit 33); in alio cor ferme totum pinguedine obductum, nec ea tenui 34); in alio, cujus jam fupra, cum de ruptura cordis ageremus, mentionem fecimus, cujus reliquum quoque pinguedine abundabat corpus, cor totum pinguedine craffa tectum 35); in alio cor et pericardium pinguedine praegravata 36) vidit Morgagnius. Lieutaud 37) quinquagenarii laute viventis cor vidit portentofum et adipofa mole quafi obrutum. Portal ibidem annotat, in luftratis cadaveribus aliquot phtifi peremptorum corda in confpectum veniffe circa bafin majori adipis copia circumdata.

Boerhaave duos affert cafus cordum adipe ita obrutorum, ut circuli fanguinis per vitam irregularis inde ratio redderetur 38).

Contra interdum cor omnino adipe carens reperitur. Sömmerringius in Nigrita cor vidit adipe plano carens 39); Morgagnius cor feminae phthifi interemptae invenit marcidum et omnino pinguedine privatum 40).

§. 84.

Tumores cordis.

Lieutaud ex actis Parifienfibus affert tumorem cordis fcirrhofum nucis juglandis magnitudine in bafi cordis prope arteriam pulmonarem protuberantem;

32) Senac. l. c. Tom. II. lib. IV. chap. IX. 2.
33) de cauff. et fedib. morb. III. 20. 34) ibid. XVI. 36.
35) it. XXVII. 2. 36) XXXV. 18. 37) Hift. anat. med. II. p. 18.
38) l. c. p. 496. 497.
39) Abhandl. von den Verfch. des Negers vom Europaeer, 2te Aufl. p. 74. 75.
40) l. c. XLIX. 18.

rantem; alium ſinui dextro extenuato adhaerentem ſcirrhoſum duriſſimum, ovum gallinaceum majus aequantem, qui diſſectus in cavitate humorem exhibuit putridum; excreſcentiam quandam in baſi cordis, ovo columbino mole parem, plurimis aliis minoribus circumdatam, quorum omnium ſuperficies aequalis erat et laevis, et in iis materia quaedam faeci vini non abſimilis 41).

Walter in corpore puellae inter ambulandum ſubito mortuae cor invenit ad apicem magno ſteatomate praeditum 42), in cordis bovini ventriculi ſiniſtri apice meliceridem, ex qua materia exprimi potuit craſſiuscula 43).

Referenda huc quoque videntur exempla de hydatidibus in corde inventis. Bonetus 44) et Lieutaud 45) e Rolfinckio afferunt hydatides in cordis membrana externa viſas in corporibus palpitationibus ſubjectorum. Morgagnius refert ſe vidiſſe a poſteriore ſuperficie ſiniſtri ventriculi cordis, intervallo gemini digiti transverſi ſupra mucronem, tuberculum extrorſum prominens, mediocris ceraſi magnitudine et figura, cujus dimidium intra ſubſtantiam ſe immittebat cordis. Erat, ut ipſe dicit, inſtar alicujus hydatidis ex iis, quae intra alia viſcera ita innaſcuntur, ut parte ſui aliqua promineant tamen. Sed compunctum paucam emiſit aquam; turbidiorem autem retinuit humorem, qui ex prorſus aperto eductus eſt una cum membranula, in qua alba quaedam erant, et mucoſa, tum particula quaſi tendineae duritiei. Viſa eſt ea membranula locum intimae tunicae in tuberculo obtinere; nam exterior erat altera denſa et albida, intus aſpera, quae univerſum cingebat tuberculum. Caro ubique ſana nec ultra dimidium craſſitudinis hacce hydatide e loco preſſum.

Exemplum prorſus ſimile pater ſervat. In ventriculi ſuperficie externa ſiniſtri cyſtis eſt diametri ad minimum pollicaris. Membrana, qua formatur lineam fere dimidiam craſſitudine aequat, et locis compluribus oſſei quid continet.

41) Hiſt. anat. med. p. 34. 35.
42) l. c. p. 64. 43) ibid. p. 65. 44) l. c. Tom. I. p. 819.
45) l. c. 36.

tinet. Mufculofa cordis ftructura neque fub, neque juxta eam, degenerata nifi admodum incraffata. Altitudo fere dimidium aequat parietem. In hac capfula globus membranaceus continebatur cavus, e membranularum tenuium complurium compofitus ftratis, ferum non omnino limpidum fervans. Accuratiorem ejus delineationem habebit una ex tabulis proxime edendis.

Morgagnius 46) in media pofteriore cordis facie membranulam quandam albam vidit exftare, quafi ruptae hydatidis veftigium. Sed cum exterius quoque per auriculam dextram maculae exftiterint albae, phaenomenon hoc potius ad maculas, quas vocant, cordis, videtur referendum. Idem magnam hydatidem a cordis mucrone detegit pendentem 47). Citantur apud eundem aliorum anatomicorum de hydatidibus in corde obfervata 48). Sic Wepferus multas per exteriorem fuilli cordis faciem paffim disjectas deprehendit. Ballonius et Cordaeus in mulieribus duabus cor hydatidibus videre obfitum. Fantonus in quodam copiofiffimae et croceae lymphae cor innatans vidit, cujus apex erat a corrupta hydatide ulcerofus, in alio autem plurimas in fuperficie cordis hydatides. Thebefius externam cordis membranam vidit hydatidibus fcabram.

Heuermann 49) cordis fuperficiem externam ubique tectam obfervavit hydatidibus, quarum nonnullae nucis juglandis molem excedebant, ferumque continebant valde acre.

Jam finem opello imponere optimum videtur; non quia abfolutum videtur — lubens enim hoc et vires et tempus in quo peractum fuit, fuperare fateor — fed quia, quae potuimus, praeftare ftuduimus. Ut mites inveniamus lectores ac judices, optamus.

L 2 THESES.

46) III. 26. 47) XXV. 15. 48) XVI. 44.

49) Phyfiologie 1751. Th. 1. p. 202.

THESES.

I.

Vis nervea, irritabilitas mufcularis, contractilitas telae cellulofae optime fub communi incitabilitatis notione comprehenduntur..

II.

Theoria, phaenomena in corpore vivo ex mixtione ejus formaque perpetuo mutatis tanquam cauffa proxima deducens, cum theoria, quam incitationis vocant, non, ut quibusdam placuit, jungi poteft.

III.

Sanguini, quia organifatione caret, vita non neganda.

IV.

Morbi fthenici rariffimi.

V.

Motus lymphae retrogradus non refpuendus.

VI.

Energiae gradus non femper e directo oppofitus irritabilitatis gradui.

VII.

In curandis morbis fymptomatum ratio multo minus habenda quam cauffarum remotarum.

VIII.

Chirurgia ab arte medica non feparanda.

TABU-

TABULARUM EXPLICATIO.

TABULA I.

Situs oppofitus cordis.

1 ad 9. Coftae refectae.

A. Cordis fuperficies convexa fuperior.

B. Margo cordis anterior acutus.

X. Ventriculus cordis pofterior, hic dexterior.

Φ. Ventriculus anterior hic finifter, vulgo dexter.

C. Mucronis cordis dextrorfum verfi tuberculum anterius, ventrem anteriorem inferne finiens.

D. Ejusdem tuberculum pofterius.

E. Bafis cordis finiftrorfum verfa.

F. Auricula major.

G. — — minor.

H. Venae cavae inferioris per diaphragma oblique adfcendentis truncus.

I. Truncus venae cavae fuperioris.

K. Arteria pulmonalis.

L. Ramus ejus dexter.

M. — — — finifter.

d. Ductus Arteriofus five Botalli.

N. O. P. Venae pulmonales.

Q. Arteria Aorta arcum a finiftris dextrorfum pandens.

R. Truncus hujus Arteriae innominatus divifus in

S. Carotidem finiftram

T. Subclaviam finiftram.

U. Arteria Carotis dextra.

V. Arteria fubclavia dextra.

W. Vena fubclavia dextra longior.

X. Vena jugularis dextra profunda five interna.

Y. Vena jugularis externa five minor.

Z. Vena fubclavia proprie dicta.

e. Du-

e. Ductus thoracici infertio.

A. Venae fubclaviae brevioris in cavam fuperiorem finiftram infertae truncus.

B. Jugularis vena interna finiftra.

Γ. Jugularis vena externa, five minor, finiftra.

Δ. Vena fubclavia finiftra proprie dicta.

f. Truncus venae Azygos in venam cavam fuperiorem infertus.

g. Vena thyreoidea dextra inferior.

h. Vena thyreoidea finiftra inferior.

i. Vena mammaria dextra interior.

k. Eadem exterior.

l. Vena Azygos dextra minor.

m. Vena dextra thyreoidea fuperior.

n. Vena mammaria finiftra.

o. Vena intercoftalis prima finiftra.

p. Nervus octavi paris dexter.

q. Recurrens Willifii.

r. Nervus octavi paris finifter.

E. Larynx.

s. Ligamentum cricothyreoideum anterius.

t. Mufculi cricothyreoidei.

Z. Afpera arteria.

H. Pharynx.

Θ. Oefophagus.

I. Lobus fuperior pulmonis dextri.

K. Ejusdem lobus inferior.

Λ. Pulmonis finiftri trilobi lobus fuperior.

M. Medius.

N. Inferior.

O. Mufculofa pars diaphragmatis refecta.

Π. Tendo diaphragmatis.

P. He-

P. Hepar.

Σ. Ventriculi fundus.

T. Lien.

TABULA II.

Fig. I.

A. A. Arteriae aortae arcus.

B. Arteria pulmonalis.

C. C. Valvulae arteriae pulmonalis quatuor.

D. Ventriculus cordis dexter.

E. Ventriculus cordis finifter.

F. Septum cordis.

Fig. II.

A. Arteria pulmonalis.

B. Ejus valvulae duae loco trium.

C. Venter anterior.

D. Septum cordis.

E. Venter pofterior.

F. Arteria aorta.

Fig. III.

A. A. Arteria pulmonalis ejusdem cordis, Fig. II.

B. B. Valvulae ejus duae.

C. C. Venter pulmonalis.

TABULA III.

Fig. I.

A. A. A. Annulus venofus ventriculi dextri offeus.

B. Trabes carneae.

Fig. II.

A. A. Annulus venofus ventriculi aortici offeus.

B. B. Trabes carneae infpiffatae.

Fig. III.

A. A. Aortae initium.

B. Ejus-

B. Ejusdem pars deſcendens transſciſſa.

C. C. Valvulae aorticae oſſeae inſpiſſatae coalitae.

D. Orificium arteriae coronariae ſuperioris.

E. Orificium arteraie coronariae inferioris.

Fig. IV.

A. A. Aortae valvulae eroſae.

B. Aorta.

C. Orificium ventris ſiniſtri venoſum normale magnitudine excedens.

D. D. Venter ſiniſter aneuryſmaticus.

E. Septum.

F. Venter dexter.

TABULA IV.

A. Annulus venoſus ventriculi ſiniſtri inſpiſſatus, inde orificium venoſum coarctatum.

B. Venter ſiniſter aneuryſmaticus.

C. Septum.

D. D. Venter dexter aneuryſmaticus.

E. Arteria pulmonalis.

F. Aorta.

TABULA V.

A. A. Valvulae aorticae eroſae, oſſeae, dilaceratae.

B. Ventriculus ſiniſter aneuryſmaticus.


C. Orificium ejus venoſum ab annulo venoſo inſpiſſato et inaequali compreſſum.

D. D. Aortae arcus oſſeus, hic illic membrana interna privatus.


Cum temporis anguſtia, quo minus tabulae aeneae omnes, quas edere animus erat, incuderentur, impediverit, quinque hisce tres alias reliquas quam mox potuerimus, ſubjungemus.



Tab: II.







Tab. III










Tab: IV




D
D
A
C
B
B

60
.10

